

M

VMBRAE GENIALES



F. Romanell. del. F Poilly. Sculp. R.



VMBRAE
GENIALES
IO. FRANCISCI
RAYMVNDI
CESPITELLENSIS.

In Sex libros diuisæ

In Morales, Heroicas, & Varias.

quibus accedunt

Aethiops Europæus, Lilla Codreta;


Leo & Aquila.



ROMÆ, Typis Michaëlis Cortellini. 1654.

Superiorum permissu.





Illustriss. & Excellentiss. D.

ISABELLAE LANTES AB ALTAEMPS

Duci Ciuitatis Gallesij, Marchionissæ Suriani, Comiti Tussiniani, & Fontanæ, vtiliq; Dominæ Status Misuracæ in Regno Neapolitano


Se suumque opus D. D.

IO. FRANCISCVS RAYMVNDVS,

Dum suam Musam ad idem peragendum hortatur.

EDITA nocturnis vmbris, partimue diurnis,
Scilicet vmbriferis Sole coquente vijs,
Exere pallorem: soboles ea nescia lethi,
Cui noctis medium fit rubicunda dies:
Vtpote, quæ vitæ telam exordiris ab umbris,

Non.



Nonnisi vitali sis peritura sinu,
Atque verecundo tandem suffusa pudore
Erumpens vmbris inspice læta diem.
ECCE diem pulso quouis pudibunda timore
Inspicio iussis obsequiosa tuis:
Me me felicem! cuinam felicior actis
Effulsit seclis, candidiorue dies?
Quem roseis Aurora comis cum pandat ab ALTAEMPS
DVX, vmbris genij clara futura mei.
Inuida non EOS aufert, sed germinat astra,
Astraque sunt proles, quæ numerosa micat.
Nil nisi sidereum quæ secum pectore versat,
Sidera, nil mirum, concipit atque parit:
Sidera, quæ meritò quæuis mirabitur ætas,
Quòd

Quòd quæcumque mouent, imperiosa fouent;
Haud hominum siquidem pendent ex tempore mentes;
Hinc sibi nec prodest, nec sibi tẽpus obest;
Atque voluntates sunt sidera vera Potentum,
Ad quorum placitum cuncta mouentur humi.
Terra suo gestit famulo dominentur in Orbe
Hæ Stellæ, pariter quod dominetur EOS,
Cuius ad ornatum sua munera cuncta sacrarunt
Cum Phœbo, Charites, Iuno, Minerua, Venus;
Hinc fit, vt aonio doctè resonarit in antro,
Et lyciæ admorit plectra canora lyræ,
Percita tum dio numeros deduxerit æstro
Pie-


Pieris ad latices Bellerophōtis equi,
Quo Pindum lustrans musis gratissima flore
Aonidum vario spargit odora sinum.
MVSA tace, mea Musa tace, tua comprime labra:
Officij memorem te decet esse mei:
Est à secretis nimirum munus agenti
Niliaci digitus Sigalionis opus,
Hinc vmbras genij synceri pignus amoris,
Pignus & obsequij muta sacrabis opus;
Exiguum fateor, leue, nec memorabile munus;
Ast ALTAEMPSIACVM est magnificare parum,
Cui proprium quamuis à nullo sumere magna,
Omnia, quæ sumit, reddere magna tamen.

Non

Non est quòd metuas AVRORÆ lumen ab vmbris
Vmbrosum fieri, nam mage fulget eis;
Clara licèt cœno defigat lumina Phœbus,
Lumina non cœno contemerantur eo;
Vmbris dumtaxat veri scribuntur in albo
Carmina commẽtis ingeniosa suis;
Pingendi studio nomen spectabilis vmbræ
Inter Pictorum nomina clara notant;
Quò fiunt vmbræ maiores mentis auaræ,
Auri maior eò splendor & ardor erit;
Insuper ex vmbris lux clarior exit, & vmbris
Exoriens roseo purpurat ore dies.

Errata sic corrige.

Pag. 41.	eccellentem	lege	excellentem.
Pag. 44. n. 8.	tenex	lege	tener.
Eodem versu	furit	lege	suxit.
Pag. 59. n. 127.	feras	lege	eras.
Pag. 56. n. 52.	Aquinar	lege	Aquinas
Pag. 72. n. 91.	nihil	lege	nihili.
Pag. 55. n. 38.	victus	lege	virtus.
Pag. 92. n. 75.	occipur	lege	occiput.
Pag. 88. n. 61.	iura	lege	iu e.
Pag. 87. n. 61.	matinis	lege	marinis.
Ibidem.	insulas	lege	infulas.
Pag. 113. n. 9.	quo	lege	quoque.



Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. Pat. Magist. Sac. Pal. Apost.

M. Anania Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Vincentius Fanus Magist. Ord. Prædic. & Reuerendiss. Pat. Magist. Sac. Palat. Apostol. Socius.

VM-

VMBRARVM GENIALIVM IO. FRANCISCI RAYMVNDI GESPITELLENSIS,

Liber Primus

MORALIVM.



DEIPARÆ VIRGINI.

I.

IAM Babylon miracla silet, maiora supersunt:
Humano fit homo victus amore Deus;
Cælorum complexa globos quem machina mundi
Non capit, ipsa Deum candida Virgo capis,
Cãdida Virgo capis Christi venerabile corpus,
Qui sine patre puer, non sine patre Deus

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

II.

AETERNAE lucis niuea sub imagine candor
Sacratæ cereris fit Deus esca suis,

De eodem.

III.

HAEC sine principio cereris sine fine sacratæ
Sphærula, quã cæli conditor esca latet,
Continet æternæ candorem viuida lucis,
Qui sine principio est & sine fine Deus.

Ad Lectorem.
Beatissima semperque Virgo Maria ipsius Virginitatis imago, Ex Diuo Ambrosio.

IV.

FINGE tibi speculum susceptã reddere formam,
Se se Virginitas & speculetur eo,
Quantaque sit Virgo Mater speciosa Tonantis
Lumine confestim mentis habere potes;
Virginitas quàm pura micat! tamen eius imago
Purior in speculis enthea Virgo micat.

Cur Virginitatis imago sit ipsâ purior Virginitate.

V.

VIrginitatis inest speculo sine corpore forma,
Purior hinc ipsã Virginitate nitet.

Iuxta illud Apoc. Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta Sole &c.

VI.

DVM sol exoritur terris, tunc sidera, luna
Vmbrantur, nunquam sole nitente, micant
In solo Mariæ cælo miracla Videntur,
Sol vbi coniunctim, sidera, luna nitent.
Integritatis honor lunæ debetur, at Astris
Fertilitas, Soli Virginitatis amor;
Hinc Mariæ cælo sol, sidera, luna nitescunt;
Quòd peperit terris inuiolata Deum.

Ad

Ad D. Magdalenam Feruentiorem ex peccato resurgentem.

VII.

SI non peccasses, minor esse Magdala; culpa
Perniciosa alijs fit pretiosa tibi.

Ad eandem.

VIII.

E Culpâ speciosa redis, nam Iudice Christo,
Hæc, quia multus amor, multa remissa fuit;
Existi, terso lachrymis & crimine, sole
Purior ex vndis exoriente maris.

De eadem.

IX.

QVID faceret, renuit moderari, mente reuoluēs
Quod fecit veri Magdala serua Dei;
Frigida quæ noxis fuerat velut anguis auerni,
Post instar seraphim flagrat amore Dei.

De D. Ioanne Apostolo & Euangelista.

X.

ASTRA petit cantu natus Bethsaide, Christi
Sopito pectus cui schola docta fuit.
Discipulus felix! didicit qui plura sopore
Pressus, quàm vigiles non didicere viri.

De aurea S. Hieronymi facundia.

XI.

AVREA Hieronymi facundia fulget; in illa
Scripturæ merito cœlica gemma nitet.

Ad D. Paulum.
Iuxta illud: apertisque oculis nihil videbat.

XII.

NIL oculis Gentis lustras cur Doctor apertis?
Vmbrantur stellæ sole rubente solo.

Ad eundem ſecundum illud Sacræ Scripturæ: & audiuit arcana verba, quę non licet homini loqui.

XIII.

NON eſt fas homini fari, quæ lumine mentis,
Corporeo caſſus lumine magna vides.
Fis, cæcus terræ, cælis oculatior Argo;
Exoculatus eras, dum velut Argus eras.

Ad eundem de eodem.

XIV.

CORPOREI ſenſus oculi priuatio felix!
Quæ tibi cæleſtis lucis origo fuit.

Ad D. Famianum Vrbis Galleſij protectorem.

XV.

FAMOSVS nimijs, Quuardus olim,
Miraclis modò ferre Famianus.

Auri faſtum, quem aureis equus ſoleis calcat, adorat homo.

XVI.

OB terræ natos cum ſint elementa creata,
Cur eſt ex illis infima terra ſitu?
Cur hominum pedibus, nec non calcatur equorum?
Ne premeret mentem, quod pede quiſque premit.
Proh ſcelus infandum! fateor non abſque rubore;
En aurum, quod equus calcat, adorat homo.

Humanus animus ſpecioſi inſtar eſt Hortuli.

XVII.

GEMMANTES flores, florentes vndiq; gemmas
Horti fundit humus mentis hiulca bonæ,
Hanc colit aſſiduo virtus operoſa labore,
Hanc rigat ex madidis rore cadente genis,

Verna probatorum candeſcunt lilia morum,
In roſeo dius murice rorat amor,
Contemptuſque ſui violæ ſimulachra, liguſtra,
Balſama, cum cityſis cynnama, nardus olent.
Quot cælum ſtellis, tot florum fulget ocellis
Hortulus hic animi, qui paradiſus ineſt.

Mentis humus, cæteroquin florida, ſylueſcit inculta.

XVIII.

MEntis humus nō culta, roſas herbaſq; ſalubres,
Nequaquam, tribulos luxurioſa parit.
Hanc laſciuus amor iaculorum vomere ſulcat,
Committit ſulcis ſemen iniqua Venus:
Infelix equidem, ſed fertile ſemen amoris,
Quod legit, ſpinis dum pede læſa fuit.
Curarum ſpinæ ſunt ſemina matris Amorum;
Perquas ſylueſcit florida mentis humus.

Vbique crux.

XIX.

CVM formet quicunq; crucem, dū brachia tēdit,
Quò quò ſe vertet, crux ibi ſemper erit.

Ad lectorem.
Ex amaro dulcedo.

XX.

DVLCIOR hyblæo ſit lectio melle, palatū
Ni tibi ſit ſanus, lector, amara ſapit.
Qui legis inde prius cordis mulceto palatum,
Quem tetricæ mulcet mens iterata necis,
Dulcior hæc rectā ſit nectare mente legenti,
Dummodo, non tantùm, quæ legit, ille legat.

Ad eundem.

XXI.

NI bona ſcripta manu volues, volueris ad ima;
Præpes ad aſtra volat, qui bona ſcripta vorat.

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

XXII.

VIM patitur regnum cælorum, dextera furis
Id, quæ magna capit, si violenta, rapit.
Qui noctis medio surgebat tempore Psaltes,
Quàm mirum! superûm cor rapuitque virûm?
Quæ vis infertur cælis felicior omni,
Hoc qui sine perit fune, beatus erit.

Non moritur, qui bene viuit, & contrà.

XXIII.

QVI moritur terris, vt possit viuere cælis,
Viuit, non moritur, dum bene viuit homo;
Qui moritur cælis, vt possit viuere terris,
Viuit? non; moritur, dum male viuit, homo,

Mors certa, eius autem hora incerta.

XXIV.

MORS certa est, mortis nil est incertius hora;
Eius victor erit, qui memor eius erit.

De eadem.

XXV.

AEQVAT inæquales homines mors, vitaq; tales
Aeternans reddit, quos peritura dedit.

Mors ingreditur per fenestras.

XXVI.

OSCVLA cor feriunt, sonus aures, esca palatum,
Blandus odor nares, lumina verò color;
Hæque voluptatum species; genus esto supremum
Quæ fluit ex illis pessima, peior eis.
Plures afficiunt sensus, e sensibus vna,
si plures, saluus non foret vnus homo;
Blanda domũ cordis penetrat mors, perq; fenestras;
Ne pereas per eas, claudere mens sit eas.

Se-

Semel est homini calcanda via lethi.

XXVII.

ITQVE reditque dies, vnà cum mensibus annus;
Non homines redeunt, si semel hinc abeunt.
Durum mortis iter viuens qui mente volutat,
Is solum moriens hoc bene calcat iter.

Liber non est, qui seruit libidini.

XXVIII.

IS sibi non viuit, vitijs qui viuit, iisdem,
Is liber nunquam, qui famulatur, erit.

De libero Arbitrio.

XXIX.

ARBITRII felix libertas, vtitur illâ,
In cælis semper, qui bene, liber erit;
Arbitrij infelix libertas, vtitur illâ,
In baratro semper, qui male, seruus erit.

De eodem, quod gratiæ cooperãdo est fons suæ salutis, secus si non cooperetur.

XXX.

ARBITRII de fonte fluunt libitina, salusue;
Qui non pura bibit, pura venena bibit.

Cur à fletu, & non à risu vita nostræ suum ducat exordium.

XXXI.

CVR flet, qui nondum nouit ridere puellus?
Cur non à risu viuere cœpit homo?
Desinit in planctum mundi quia risus acerbum,
Vel quia fors calcat flebilis orbis iter,
Vel quia terra, hominis statuã quã dextra Promethei
Effinxit, maduit rore rigante genas,
Vel quia natus homo cælo, tantummodo fletus
Per nerum, cæli littus adire potest.

De mortalium studio & insania augendis in rebus, conseruandisque.

XXXII.

REBVS in augendis, conseruandisque virorum
Aerumnas, curas, inspice vel studium,
Et tibi stultitiâ quantâ teneantur apertum
Fiet, stultitiâ ni teneare pari;
Nam, cui non aurum, non totus sufficit orbis,
Septem palmorum sufficit vrna breuis.

Cor purum, Dei sedes.

XXXIII.

COR purum felix nimiùm! solummodo purus
In pura cordis sede moratur amor.

Expers quietis, terrenæ amator quietis.

XXXIV.

IRREQVIETVS erit, qui quærit in orbe quietem;
Ac si non motus, sed sit in orbe quies.

Ex crudeli pietas.

XXXV.

SI tibi vita placet, vitentur toxica mentis,
Otia, cuiusuis fons & origo mali.
His restaurantur Veneris monumenta nefandæ;
Ludus ab his vires accipit, atque gula.
Sint tibi pro vili mortalia cuncta, potestas,
Infula, fida manus, cum patre mater, opes;
Adque crucis vexilla vola, crudelis in istos
Si fueris actus hic pietatis erit.
Hæc solo vexilla solo pietatis inhærent,
Victor in his signis, qui sibi viuit, erit;
Autor ibi mortis siquidem moderamina ponit,
Vexillum vitæ crux vbi fixa manet.

In libro vitæ exarantur tantummodò digna vitâ.

XXXVI.

REXIT Idumæos vnius filius anni
Ciſſides, veluti pagina ſacra refert:
Saulus an hic humeris omnes præſtabat, oliuò
In regem Samuel dum pius vnxit? hic eſt.
Aſt vitæ libro, vitâ modò digna notantur;
Tempus inutiliter qui terit, vſque perit.

Iuxta illud: ſpinas & tribulos germinabit tibi.

XXXVII.

IN cordis medio teneas ne terrea, flammis
In terræ medio ne teneare diu.
Quæ tellus flores, fructus inculta ferebat,
In pœnam ſpinas nunc, tribulosque parit!
Qui virides feriunt mortalia corpora, ſicci,
Proh dolor! æternis ſunt alimenta focis.

Honores mutant mores.

XXXVIII.

MVTANTVR mores, homini dũ dãtur honores;
Rarò verò bonos reddidit auctus honos.

De eadem materia.

Ad Illuſtrem D. D. Carolum Riccium, ſibi beneuolentia coniunctum.

XXXIX.

MOS, ſi detur honos vertetur: noſter amicus,
Vita beata, tulit qui mihi: panis aqua,
Inquit ad optatos hic nunc elatus honores:
Eſt aqua tum panis, Carole, vita canis.

Non honos, terrenus honos, qui aliquando quos afficit, efficit inhonoratos.

XL.

NON vni tantum ſeruit, ſed pluribus ille,
Qui plures homines ſub ditione tenet,

Inde sui iuris minus est, discrimina mille
In gremio mortis culmen honoris alit;
Mors erit ista parum, ni mors æterna sequatur,
Nam damnatur homo, cui dominatur homo.
Fascinat & tantum quì cor? en fructus honoris,
Perbreuis æterni causa doloris erit.
In terris non verus honos, sed verus in astris,
Non inhonoratos, vt facit ille, facit.
In terris non verus honos, ni fors sit, honores
Pro veris cæli spernere, verus honos.

Nudum honoris nomen.

XLI.

INDIGNIS non digna viris, indignaque dignis
Cum dentur, nudum nomen honoris erit.

Radix doloris, amor honoris.

XLII.

TOT lacerant animum curæ cupientis honores,
Tortor. vt ipse sibi sit laniena sui.

Veræ laudis liquor ex laudum contemptu, & contra.

XLIII.

LAVDIBVS oblatis qui vertit terga, Beatis
Par est, lætitiæ fons fit vtrisque Deus.
Qui bibit at contra laudum lac, oreque pleno,
Colchica cum laudum lacte venena bibit.

Sibi abest, qui laudi adest.

XLIV.

EXTRA se trahitur, trahitur qui laudis amore,
Dum famulus laudis desinit esse suus.

Maledici lingua thesaurus.

XLV.

CARPENTIS dictis thesaurus lingua, ferarum
Mors est, si quà sunt mente ferenda, feras;

Hoc

Hoc est cor vitijs purgant conuitia; nudum
Cor vitijs auro, sole magisque micat.

De eodem.

XLVI.

FORS quia sustinuit Semei conuitia Cantor
Iessiades, eius cor, domus, aula Dei.
Cor, domus, aula Dei, Stephani, dum vidit apertos
Cælos, blasphemis auris aperta fuit.
Mens ea, quæ dictis non frangitur, integra cælis;
Par auro & gemmis, aurea gemma nitet.

Noxia minus nocent, quàm mundi gaudia.

XLVII.

VT calor infestus vitalem dissipat æstus
Quem contra frigus cordis in arce fouet;
Gaudia sic orbis detrudunt gaudia cordis,
Quæ contra curæ mentis in arce fouent;
Mens etenim lætis aperitur, apertaque deflet
Par viduæ, proprijs mens viduata bonis.
Ecce calore calor moritur, quem frigora seruant;
Et magis aduersis læta nocere solent.

Vulnera adamat, mundi gaudia qui amat.

XLVIII.

GAVDIA qui sequitur mundi mordacia risu,
Gaudia non adamat, vulnera mortis amat.
Proh dolor! in cordis vix sunt hæc gaudia votis,
Mens cadit, inque sinu vulnera mortis alit.

Verus Deus, verum gaudium.

XLIX.

NVnquid in hac verũ lachrymarũ valle leuamẽ?
Per momenta fluens an miser orbis abit?
A vero quærenda Deo sunt gaudia vera,
Nam sunt ficta soli gaudia, vera poli.

Mundi fraudes.

L.

VRGET vt in cautes incautos æquoris vnda,
Ludit, vt illudat mundus, vt hamet, amat.

De laruatis orbis gaudijs.

LI.

COR non attingunt, sed tantùm gaudia pingūt
Quàm tenui mundi falsa colore genas.

Mundus non flet cum flentibus, sed gaudet cum gaudentibus.

LII.

QVOS premit hìc cælū, quò tollat, deprimit orbis,
Si quis plaudit ouans, plaudit & orbis ouans;
Tristitiam damnat vultus patientis iniqua,
ē lætitiâ melior quæ facientis erit.

Lethum, non lætum, e mundi gaudijs.

LII.

ABSQVE labore sequens fallacia gaudia mundi,
Qui miser esse soles, non ratione doles.
Ad lethum nam ficta trahunt quæ gaudia, lætum
Vt facient animis exitiale malum?

Ad N. in sua malitia gloriantem.

LIV.

AD quid commaculans animū corpusq; nefandis
Gestis? vibrat adhuc fulmina, tela polus;
Viue tamen cautè, si non vis viuere castè:
Et cautè & castè viuere quisque potest.
Obserues mandata Dei, serueris vt astris;
Astris & natus viuere dignus eris.

Mundus in hoc duntaxat fidelis, quòd nulli promissi fidem præstet.

L V.

NE iaceas semper, iacias quæ pectore versas
In cælum, & cæli nectare dignus eris.

Ne pereas, mundi pereant quæ mente reuoluis,
Præterit iſtius quippe figura volans.
Vera quies, & vita Deus, mors curaque mundus
In cælum clamat, quod Deus odit, amat.
Fidet in infido quis mundo? forte fideli,
Quòd ſponſi nunquam præſtitit ipſe fidem.

Mundi partus lachrymæ.

LVI.

QVID mirũ lachrymis grauidus ſi mũdus amaris;
Nil præter lachrymas parturit ille ſuis?

Ex momentaneo riſu æternus fletus.

LVII.

NON emit æternos riſus qui fletibus altis,
Delicias cæli non bonus emptor emit;
Aeternos fletus pro riſu ſoluet inani,
Et pretio pœnas emptor ineptus emit.

Breui de riſu perennes lachrymæ.

LVIII.

QVAM breuis hic riſus præsẽs eſt! quã citò finit!
At parit heù lachrymas, quæ ſine fine fluent.

Mundus perſona riſus.

LIX.

INTVS alat fletum cum ridens mundus amarũ;
Perſonam riſus equis adeſſe neget?
Inde voluptatum, quas offert mundus amanti,
Vultu ridebit, corde dolebit amans.

De riſu Sardonico.

LX.

PLVS fellis, quã mellis habẽs mel fundit amarũ
Sàrdonicus riſus, qui necis autor erit.

De eodem.

LXI.

STRIDOR in inferno dentis fit riſus inanis,
Hic male qui ridet, quàm male ſtridet ibi!

Sub

Sub venenatis orbis osculis bellum latet.

LXII.

VT capiat mundus, Iudæ par, oscula figit,
Pacis in his signis quàm fera bella latent!
Pœniteat quemquam mundi dulcedine captum,
Ne non pœniteat pœnituisse citò.
Aeternis natus spernat peritura, beatus
Hinc erit, orbis amat qui peritura, perit.

Sibi non famulantibus famulatur orbis.

LXIII.

NE seruire velis mundo, quo maior es, illi
Si seruire neges, seruiet ille tibi.
Ridebis flenti mundo, ridente dolebis
Crudeli nimiã credulitate suis.

Extrema gaudij luctus occupat.

LXIV.

DESINIT in luctum positã dulcedine risus,
Vt fit amara fluens in mare dulcis aqua.

Mundus hamat, quos amat.

LXV.

VT viuat lætus, velox nat piscis ad hamum;
Non læti, lethi causa sed hamus inest;
Sic, nisi fallacem mundi vitaris amorem,
Non viues; hamat, quos nimis orbis amat.

Momentaneum quod placet, æternum quod delectat.

LXVI.

QVAM sunt præsentis fallacia gaudia vitæ!
Quæ vix visa suis iam fugitiua volant.
Quàm sunt cælestis veracia gaudia vitæ:
Spondent quæque ferunt præmia, semper erunt.

Cantus materia planctus.

LXVII.

IN veros planctus vertendos heù fuge cantus,
A se totus abit, qui melos orbis adit.
In cantus credit vertendos qui fore planctus,
Et flet, in æthereis occinet vsque choris.

Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu.

Ad Ganymedem.

LXVIII.

AD quid odoratis ornas, fictisue capillis
Tempora, Cæsaries cur sine lege fluit?
Ad quid opes patrias euertis funditus, auro
Et grauidis gemmis vestibus, atque datis?
Ad quid abis tibi? tum discrimina mille salutis,
Nummorum, famæ, mortis, honoris adis?
Denique dia tibi cur tantùm gratia sordet?
Vt semel optato perfruar ipse bono.
Defectus quicunque malum facit esse; nefandis
Ergo quod est tantis, vt valet esse bonum?
Hoc si stulte bono, dum non est, tot mala suffers,
Dum fuerit, pœnis num satis vnus eris?
Heu fuge tale bonum, fugiendo victor abibis,
Deque triumphatis sensibus almus eris.
Integra causa potest solum fons esse bonorum,
Spe recreant mentem, re bona vera beant.

Ignorantia sui, miseriarum augmentum.

LXIX.

INFELIX nimis est qui se cognoscere nescit,
Si miser est, etenim fit magis ipse miser.

Ex læto lethum.

LXX.

NOMINE cum lethum, tū lætum, req; cohærēt
Inter se, lætum quod parit, illud habet;

Læ-

Lætitiæ quò maior, eò minor vmbra fugacis;
Ex altis maior montibus vmbra cadit.
Est ea vel fumo par, qui glomeratus in orbem
Quò plus ascendit, plus minuique patet.
Obducit menti tenebras, cor opprimit, inde
Lætitiâ plures interijsse liquet;
Dum premit hæc sensum, sic opprimit, ille ferendo
Impar vt factus sentiat inde minus.
Lætitiæ genus hoc à nostro pectore longè,
Non modò quæ reliquis, est inimica sibi.
Lætitiæ veræ fontis curramus ad vndas;
Lætitiæ veræ fons & origo Deus.

Iustus vbique lætus.

LXXI.

VIR sine labe nequit mœstam traducere vitã,
Nec verè lætus, nonnisi iustus, erit.
Terminus haud corpus magnis est mentibus æquus;
Non, quæ vincla manus, libera corda ligant;
In vinclis siquidem gaudet mens conscia recti
Scena theatralis deliciosa sibi.
Sufficit hæc meritò merces virtutis alumno,
Est cuius vocis terminus æquus honos.

Iniustus vbique mœstus.

LXXII.

IMPIVS hic vitam viuit mœrore refertam,
Cuius, mors, meliùs vita vocanda foret;
Nam graue tormentum scelerũ mens conscia, iudex
Fit, reus, & tortor, suppliciumque sui.
Id Nero testetur: vitæ sibi lumen ademit,
Infandis cœpit dum grauis esse sibi;
Testeturque Cain fraterni funeris autor,
Est cui cum vitâ fratris adempta quies.

De Voluptate.

LXXIII.

MORDENDO ridet, mordet ridendo voluptas;
Nil aliud plus hac peste nocere potest.

Euolatilis contemptu voluptatis æternæ voluptatis exordium.

LXXIV.

SPERNE voluptatem, quò sit tibi vera voluptas;
Est modo quæ constans in breuitate sua.
Sicque voluptatem æternam paritura voluptas
Est tibi, quæ transit, & velut vmbra fugit.

Terrena voluptas fæcis veræ voluptatis fæx infima.

LXXV.

ISTA voluptatis veræ fæx infima fæcis
Quì tantùm mentes solicitare potest?
An dolor, improbitas, luctus, mors pessima demum
Sunt, & lasciui fructus amoris erunt?

Poma Sodomitica voluptatis Simulachrum.

LXXVI.

QVæ cute pulchra nimis sodomitica poma videntur
Intus fumoso puluere plena nigrant.
Haud aliter risum circumfert blanda voluptas
Principium fletus, fumus, & vmbra, nihil.

Victoria sui quàm maxima est Victoria.

LXXVII.

VINCERE nil prodest, dū regnet cæca voluntas;
se se quid maius vincere nemo potest;
Cumque voluptatem talem vicisse voluptas
Vera sit, illius nonnisi causa Deus.

Voluptatis trophæum.

LXXVIII.

FRACTA voluptati constantia cedit eorum;
Sub quorum plantis hasta cruenta rubet.

Cannarum, Trebiæ, post clara trophæa Sagunti
(Quæ loca stant libyci cæde superba Ducis)
Hannibal inuictus, belli cui pectus ahenum,
Fœmineo Capuæ victus amore iacet.
En, quem magnanimum fulgor non terruit hastæ,
Pallescens radijs oris amantis obit.

Hac in vitâ non beat corporea voluptas incorporea.

LXXIX.

VERA voluptatum mater fœcunda voluptas
Vel Deus est, eius causa vel ipse Deus;
Iuxta naturam, cum sit sine corpore, corpus
Non beat, æthereis esca beata choris.
Scilicet hac vir erit viduus sine labe? Minister
Missus ab æthereis vir sine labe choris.

Solâ fugâ vincitur voluptas.

LXXX.

QVO mortale ruis vulgus? laruata voluptas
Hostilis nimis est, insidiosa nimis.
Morbida subridens fert secum vincla, sequaces
Fortiùs his, quò sunt morbidiora, ligat;
Blanda tamen vultu circumfert lumina lucis,
Vt queat ex facili fallere luce viros.
Quas parit ærumnas huius si lumina ferrent
Et lachrymas, isti quàm citò terga dares!
Si tibi consilium, ratio, mens, cura salutis,
Hanc fuge, nam solâ vincitur ista fugâ.

De insanis. iuxta illud: à veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

LXXXI.

CVM sit corruptus stomachus dulcedine vani;
Insanis sermo verus amara sapit.

De D. Francisci moribundi suos ad fratres sermone.
LXXXII.

VICINVS letho Franciscus cælifer Athlas
Dum pia verba facit, non moritura iacit.
In pia corda gerit moriens non semina mortis,
Semina sed vitæ, non peritura, serit.

Humanitatem exuit, qui vltra modum humaniores Artes colit.
LXXXIII.

QVI studet humanis nimiũ, studet ille gehennæ.
Quò plus est illis, est minus ille sibi,
Et fit inhumanus, posito nam more, ferinos
Induit, humano, non homo, dira fera.
Extra se raptus, supra se lumine mentis,
(Ne dicam tenebris) se putat ipse rapi.
Inflat quippe tumens, & nuda scientia reddit
Quos inflat, nudos cognitione sui.
Quot parit hæc pœnas genitrix & nata doloris!
Quot mortes! hominum cædibus ista viget.
Et delectat adhuc chartis pallescere? noctes,
Insomnesque dies ducere? morte premi?
Hanc qui non perdet, meritò perdetur ab ista;
Quos trahit, ad pœnas, quæ sine fine, trahit.

De ter maxima facundiæ potentia.
LXXXIV.

SI C[illegible]uditorum facundia blanda suorum
Autorisque sui cor mouet, atque rapit;
Vt citius vitæ ponant confinia, finis
Quàm vanescendi sit facienda sibi;
Iureque flexanimis fertur facundia, maior
Hac exercetur nulla tyrannis humi;
Talis enim cultæ præstantis munere linguæ
Vis, vt ad arbitrium flectere corda queat.

Caro mortificat, Spiritus autem viuificat.

LXXXV.

DVM mens pinguescit, macrescit corporis artus,
Et mens in pingui corpore macra viget.

Ventris sagina miseriarum officina.

LXXXVI.

QVI plus est, minus est; nimijs procedit ab escis
Corporis & mentis morbus, & inde rogus.
Integra si corpus deglutit fercula, nullus
Est sapor, integritas officit ista nimis.
Nam fit in ore dapum concoctio prima, medendi
Non vnus veluti clarus in arte refert.
Scilicet esca iuuat, teritur quæ dente, placetque;
Et quò plus teritur, plus iuuat, atque placet.
Plus placet, isi spatio digitorum verò duorum,
Est cui, nec totus sat globus orbis erit.

De quàm Maximo Helluone.

LXXXVII.

TEMPORIS à spolio campi spoliantur, & vndæ;
Quò spolijs horum mensa grauata, gemat,
Cuius dum totus mundus breuiatur in escis,
Quas vni misit quælibet ora gulæ,
Helluo cuncta locum naturæ cogit in vnum,
Vt natura suis dentibus ista ruat.

Vectigal ventris morbus.

LXXXVIII.

BELLVA quid ventris pretiosis soluet onusta
Escis? vectigal pergraue morbus erit.
Quid? leue vectigal mors hæc, si soluerct illud,
Et non æternans se sociaret ei.
Est qui terrenis, nil soluet, liber ab escis;
Ieiunos tantum cælica porta capit.

Quæ

Quæ fuerint homini instrumenta peccandi, erunt & Deo instrumenta puniendi.

LXXXIX.

REGIS Adam magni dum nō est iussa sequutus;
Desijt imperij sceptra tenere sui.
Mens sibi quæ princeps nullâ sine lege vagatur
In se carnificis munus, obitque rei.

De eadem materia.

XC.

SIC est, quæ fuerint hic instrumenta nefandi,
Ipsismet sontes facta nefanda luent.
Testis erit lautis Epulo, cum vixerit escis,
Mortuus hic factus dæmonis esca fuit,
Purpura testis erit flammas imitata perennes,
Nix byssi in glaciem versaque testis erit.
Quod fecit viuens in culpam, morte peremptus
In pœnam meritò passus id ille fuit.
Has flammas crebrò menti qui suggeret, escis
Immoriens erebi non erit esca foci.

Nulla truculentior fera ventris ferâ.

XCI.


VIX homini similis, cui solum cura palati,
Illi par stabulum turpe, cloaca, lues,
Induit, humano viduatus more, ferinum,
Qualibet ille ferâ fit feriorque fera.

De eodem.

XCII.

TIGRIDA si mulces, fit lenis, sed fera ventris
Quò mage mulcetur, sæuiet illa magis.
Sic est; blanditijs quos exuit illa ferinos,
Mores, illecebris induit illa fera,
Tam fera, tam gaudens humano sanguine, morte
Autorem blandum perdat vt atra suum.

Cis-



Circuit hæc rugiens quærens quem deuoret, escas
Sed pingues tantum dente vorando ferit.
Dente vorando ferit rabido dum corpus obæsum,
Contactu mentem, mens rabiosa perit;
In rabiem vertit, ni tergum vertitur escis,
Vertenti tergum posteriora dabit.

De Auaro laqueo suspenso, qui bis nomen Religioni dederat.

XCIII.

QVAE strinxit collum, renes bis cinxit, auaro;
Bis repulit funis quam tulit vna necem.
Quam tulit vna necem crebrò tentarat, auari
Hæc premit vsque gulam, ne premat illa dapes.

De auaro inter sepeliendum aurum lucis vsura orbato.

XCIV.

TOLLITVR e viuis, aurum dum cælat, auarus:
Auri fulgores causa fuere necis.
Aurum qui celat, non est celandus ab auro,
Lucem, non tenebras, fors quia lucet, amat.
Vel quia stare nequit, cum sit sibi sphærica forma,
Currere quapropter, non latitare cupit.
Aurum qui sepelit meritò sepelitur ab auro,
Qui perdit, cælis aureus ille viget.

Fictus thesaurus, vera pauperies.

XCV.

DIVES opum, curis diues, fit egenus in auro,
Quò plus augentur, plus cupiuntur opes.
Imponitque sibi, quisquis spem ponit in illis,
Illis quisquis adest, is sibi totus abest.
Non nisi cor placidè rapiunt à corde suorum,
Est vbi thesaurus, cor ibi semper erit.
Pauperies, fictus thesaurus, vera, perennes
Cuius possessor perdit auarus opes.

Vbi thesaurus, ibi & cor.

XCVI.

ARcam circumfert cor, arca cor, atque latentes
Non semel, atq; simul plena flagellat opes.

De Auaro.

XCVII.

INTER opes fit inops, nunquam satiabitur auro;
Tam deest, quod auet, quam quod auarus habet.

Cur sit inexplebilis auri cupiditas.

XCVIII.

AVRI nulla cibo substantia cum sit, auari
Nec sitis expletur, nec miseranda fames.

Diues quandoquè vitijs, qui diuitijs.

XCIX.

DIVITIIS grauidis vitijs apponere noli
Cor, tua ne vitijs mens labefacta cadat.
Non tibi diues erit præsto de millibus vnus,
Qui bonus ex paruo magna repensque facit.
Cor à corde trahunt, si cor apponitur illis;
Qui cor non ponit, perdere nulla potest;
Qui non diuitias perdet, perdetur ab illis,
Omni, qui perdit, tempore diues erit.

Opes, dum opus est, non ferunt opem.

C.

QVO tutetur opes, oculos non pascit auarus
Somno, non dapibus corpus, vbique miser.
En solamen opum, solæ quæ morte relinquunt,
Indiget haud paruā dum moribundus ope.
Argenti splendor, tunc auri fulgor inanis,
Non sine flentis aquis, iridis instar abit.
Iridis instar abit, cuius quò quisque colorum
Plus clarum tangit, plus tenebrosus abit.

Ad perilluſtrem D.D. Franciſcum Bouarellum, qui Thuſculanæ Congregationi Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nummorum ſupra ſex millia aureorum teſtamento reliquit.

CI.

AVRO cor inopum donato factus es; auro,
Quàm felix! ſemper cor cui diues erit.

Ad perilluſtrem, & Adm. R.D.D. Octauium Bouarellum prædicti D. Franciſci filium.

CII.

CEntuplicauit opes genitori Chriſtus in aſtris,
Hic tibi quas nato iam duplicauit opes.

Opum riſus tempeſtatis ſignum.

CIII.

TEMPESTATIS opum ſunt riſus ſigna futuræ,
Quorum, naufragium, mors ſine morte, comes.
Calcatis opibus ſolem properemus ad illum,
Occiduum nunquam quem premit vnda maris,
Quem non præcedit, ſequitur nec lucifer alter,
Aeternos aperit dum ſine nocte dies.

Qui verè diues.

CIV.

NON diues, qui diues opum, vel viribus audet,
Diues erit verè, qui ſibi diues erit.

Praxis doctorem efficit.

CV.

PLVS verbis exēpla docent, ſophos eſſe peroptas,
Eſt tibi cum doctis praxis habenda viris;
Quippe ſedens horis capies documenta, labore
Vt, ſtudijs, ſeclis parta trophæa virûm,

Mox fiunt auræ, quæ deponuntur in aure;
Cordi, quæ referunt lumina, fixa manent.

Si cum bonis bonus eris.

CVI.

QVI pede carpit iter longè cum sole coquenti
Vt calor alter ei, tum color alter ei;
Sic & Doctorum qui calcat signa virorum,
Tincturam Sophiæ, ni sophos, ille feret.

Si cum malis peruerteris.

CVII.

PLANTARVM veluti glacies sublime cacumen
Siccat, dum viridi gramine vernat ager;
Sic & odora virûm virtutum germina flores
Sardonicus risus colloquiumque secat.

Ad aurum cum eiusd. aurea responsione.

CVIII.

GAVDIA quid palles cordis, sanguisq; secundus
Aurum? palloris quid color iste notat?
Nullus ab insidijs vnius tutus it hostis,
Quid mihi, cui quiuis insidiatur, erit?

Aurum Autorem alloquitur.

CIX.

PALLESCO, pariter mortalis pallidus auro,
Exanguisque, velut quem ferit anguis, adest.
Ast hominum quare sanguis feror esse secundus?
Quòd sibi non viuit, qui tibi viuit amans;
Vel quia cum sudor species sit sanguinis, aurum
Tu dare sudoris sanguinis in pretium;
Hinc qui plus auri custodit auarus in arca,
Sanguinis in venis possidet ille minus.

Theatri mare Veneris sacrarium.

CX.

INFELIX oblita Dei numerosa theatri
Ad mare turba fluit, more fluentis aquæ.

Id sibi lætitiæ pelagus fore censet; amaris
  Ast vndis poterit dulce quid esse maris?
Si quid lætitiæ quin imo pectore viuit,
  Lætitiæ salsis fluctibus vnda premet;
Prodijt ex vndis geminorum mater amorum;
  Hinc ignis citiùs crescit amantis aquis.

De eodem.

CXI.

QVOTQVOT Penelopes fœdũ petiere theatrũ,
  Lasciuæ Veneres tot rediere domum,
Et merito, Veneris sacraria quippe theatra,
  In quæ mox Veneri fit sacra quæque venit;
Hic quam dona fidem, potuit nec frangere quæuis
  Machina, mox ficti frangit amantis amor;
Tàm potis obscenis in scenis fœdus amator,
  Est iam, vix natus, cuius adultus amor.
Quàm potis hostis amor, nostris qui belliger armis,
  Nullo nobiscum tempore fœdus init!

Spectator felix, qui virtutis spectacula prospiciens spectaculum fit virtutis.

CXII.

LVDICRA virtutis quamuis spectaculà, menti
  Non bona spectantis ludicra fructus erunt.
Scilicet hic scitu fuerint quæ digna, sedenti.
  Hæc altè menti fixa manere solent.

De eodem.

CXIII.

VIRTVTEM qui totus adit, virtutis alumnus
  Mactatis vitijs victor abitque feris.
Virtutem spectans spectaclum fitque Tonanti,
  Spectaclum fœlix aligerisque Choris.

Quos

Quos in Apulia stellio mortificat, Canorus sonus viuificat.

CXIV.

STELLIO, quem mordet, perimit, cantuq; sonoq;
Annua ni morsus sit celebrata dies;
Est illis aliter quos stellio mordet auerni,
Queis est concentus læthifer, atque sonus.

Dæmonis cantus animarum laqueus.

CXV.

SOLERS venator Dæmon dulcedine cantus
Ad viscum, laqueos, retia ducit aues.
Luxuriosa canit qui cantica, musicus orci,
Vel canit, vt capiat, vel capiatur eis;
Mos sibi non curat rationi dissonus extet,
Dummodo vox verbis consona sitque sonis.

De eodem.

CXVI.

MOLLITIES cantus genitrix quò molliùs aures
Afficit, in laqueos fortiùs vrget aues.
Ludus auis cantus qui fit tunc temporis auris;
Dum ferit hanc obiter, dulciter illa perit.

Formosa vestis deformis mentis indicium.

CXVII.

DEFORMIS mentis vestis formosa figura est,
Luxuriam cordis splendida vestis olet.
Quàm grauis hinc error leuitas est vestis, ad orcum
Cuius mens nimio pondere pressa ruit.

De eodem.

CXVIII.

NE sit in immensum flammarum purpura vestis,
Hinc procul inflammans murice vestis eat.

Hinc procul & vestes, auro, gemmisque superba;
Nam solum simplex, & sine labe, beat.

Vestis vsus signum mœstitiæ, non lætitiæ.

CXIX.

INDVIT in signum commissi criminis Adam
Quam vestem scelerum proh dolor! autor erit?
Induit vt corpus, lætis cor exuit, Adam
Quàm bene vestitus, dum spoliatus, erat!

Cor purum, cordis vestis purissima.

CXX.

NON est externis in rebus vera voluptas;
Non est in ludis, vestibus inque cibis.
Mœstitiæ vestis tantùm quæ lumina pascit,
Lætitiæ vestis cor decorare solet;
Regius inde meo Psaltes in corde dedisti
Lætitiam cecinit dulciter ore Deo;
Cor etenim purum, cordis purissima vestis,
In puro purus corde quiescit amor.

Ad furem mollibus vestitum.

CXXI.

EXVE gemmantes vestes insignia cordis
Impuri, cordis pura venena tui.
Ante tuos oculos Christi nascentis imago
Si vel viuentis, vel morientis erit,
Tuta futura tibi vestitus norma pudici
Sacratæ cereris sub speciebus erit.
Pauperiore tegi potuit num Christus amictu?
Hæc serua, & finis non tibi funis erit.

Ad N. nimio ædificiorum luxu correptum.

CXXII.

SCILICET innumeris stabunt tua tecta ruinis
Fota virûm, stabunt sanguine pota virûm;
Mens

Mens indigna tibi cæli per amœna vagari
Cum sit, in his viuens iure sepulta iacet.

Ad eundem.
CXXIII.

HIC hìc infelix cælo qui triste sepulchrum
Præfers, sis præsens corpore, mente magis;
Quì tamen esse potest mens hìc, quæ tota struendis
Aedibus est præsens, mentis in æde nihil?

Ad eundem.
CXXIV.

AVSCVLTA tecum non fictis rebus agentem;
Quò verè menti restituare tuæ.
An tibi quò maior fuerit, tum pulchrior ædes,
Mœror eò mortis tempore maior erit?
An formicarum, culicumque fateberis ædes,
Aedes si cæli mentis in æde vides?
O quàm sordet humus, dum cælum specto solebat
Dicere Loiolæ gloria summa domus;
Casuras hinc temne casas, nixasque columnis
Aeternis meriti iam tibi conde casas.

Ad eundem.
CXXV.

INSPICIENS volucrũ nidos ab hirundine discas
Casuris nunquam nidificante casis,
Ex illa discas, quamuis ratione carenti,
Qua condenda tibi sit ratione casa.

De Æde mentis ex Trimegistro.
CXXVI.

EST ædes mentis quicquid mens ipsa reuoluit;
Et Tellus ipsa cum Deitate, Polus.

Dum ædes casura diligitur, æterna despicitur.
CXXVII.

ATTALICI cultus, nabathæi sumptus, & auri
Sic ædes fastu luxuriosa nitet;

Vt tua frons, fuerit nobis si forte spuendum,
Sit locus ad sputum, cum pretiosa minus.
Tale domus studium casuræ, mentis at ædes
Semper mansuræ, quàm male semper olet!
Siccine particulam diuinæ despicis auræ,
Auras qui vitæ carpere dignus eras?

De N. Saltatore.

CXXVIII.

EST sibi dum factus saltus glomeratus in orbem
Fortunæ præceps actus ab orbe ruit.

Qui salit insanit.

CXXIX.

INSANVS tantùm saltat sine crimine, sanus]
Qui salit, insanit, nec leue crimen alit.
Turpe quidem visu, re verâ turpius extat:
Saluis naturæ legibus esse nequit;
Nam graue dum saltu se tollit in aëra corpus,
Mens leuis ad stygias præcipitatur aquas;
Quàm miser hinc saltus, qui tam contraria nectit;
Si secus at fieret, non miser ille foret;
Non miser ad fontem mentis super æthera saltus
Aeternam in vitam prosilientis aquæ.

E saltu præcipitium.

CXXX.

DVM tollit corpus pedibus glomerabilis orbis;
Heu quot fortunæ voluit ad ima globus!

Venatoris animus, venationis præda.

CXXXI.

IPSIS est ferior Belluis venatio bellua,
Quæ venatores nocte dieque ferit;
Afficiunt illæ venantum corda dolore
Dum fugiunt, dolor hic sed fugitiuus abit.
Hæc venatorem noctuque diuque fatigat
Per montes, saltus, per loca plena rubis.

Est

Est alijs iucunda quies, inimica sed isti,
Prædatorque feræ fit fera præda feræ.

Sola venatio ferarum animi felix.
CXXXII.

EST animi felix venatio sola ferarum,
Per quas syluescit mentis amœnus ager.

Qui verè sanus.
CXXXIII.

NON lætus, sanus qui corpore, mente sed æger;
lætus vir sanus corpore, mente magis.

Ægritudo dum corpus mortificat, mentem viuificat.
CXXXIV.

CORPORIS eneruat vires mens ægra, grauedo
Corporis at contra robora mentis alit.
Scilicet hæc auget mentis dum languida vires,
Infirmus sanis firmior esse solet.
Dum cadit ista, cadit corpus mœrore grauatum,
Dum iacet ista, iacet, dum perit ista, perit.

Ex corporis morbo vera mentis salus.
CXXXV.

EST æger verè morbos qui sustinet ægrè,
Mens non læua malo lãguida membra leuat;
Quot quot suppressi vitijs, curisque iacerent,
Ni corpus morbus detinuisset atrox;
Vtilis hinc morbus diuturnæ causa salutis,
Quàm pius! e prauis qui facit esse pios.

Ægritudo vulnerat, vt sanet.
CXXXVI.

VVlnerat, vt sanet veniens de corpore morbus,
Morbo corripitur qui bene, corrigitur.

Vulnera quandoquidem rimæ sunt mentis, olympū
E quibus in tenebris illa sepulta videt;
Ipsius inde sui procedit notio, pulsis
Peccati tenebris, sic radiosa nitent.

Ex infirmitate salus, & contra.
CXXXVII.

FIRMIOR infirmus, qui sanus mente futurus;
Diues corporeo robore, mentis inops.

Illuditur ludo qui nimis in ludo.
CXXXVIII.

QVAE nimis in ludo mens est effusa, laborum?
Non medicum ludum sentit, at esse necem;
Nam minuit nimius vires, & frangit easdem
Non nimius ludus, qui recreando iuuat;
Vt canis in rabiem vertit, quos dente momordit;
Ad rabidos morsus nil medicina valet.
Creuit in immensum ludentum turba, notantur;
Qui digitis hic, hic diues, & ille fuit.
Ludibrium populi ludi non parcus amator,
Non illi ludus ludicra damna vehit.

De eodem.
CXXXIX.

LVDENTIS lucrum incertum, iacturaq; certa;
Nam se cum fluido tempore perdit opes.

Bacchi ludus eorum minister funeris, à quibus blandè excipitur.
CXL.

ORGIA Tyrsigeri quamuis inuenerit Orpheus;
His tamen infelix est nece fusus humi.
Scilicet à ludis generosæ confitor vuæ
Arma capit nimium sanguinolenta suis.

Ex fœlicitatum vndis infelix incendium; & contra.

CXLI.

TRISTIA nec miserũ reddũt, nec læta beatum:
Qui miser eſt, illis fit magis ille miſer.
Flammiuomis vt ligna focis is ſuggerit, vndis
Qui ſtudet exiguis exanimare focos;
Sic dum laruatis læti perfunditur vndis
Igneus orbis amans, æſtuat inde magis;
In mare ſed contra iacitur ſi plurimus ignis,
Ilicet in nihilum plurimus ignis abit;
Sic laſciuus amor, lutulentus & ardor habendi
Flentis in exiguis ambo premuntur aquis.

Areſcens pœnitentiæ vnda, æterna pœnarum extinguit incendia.

CXLII.

QVAE fluit ex oculis in pœnam ſola perennes
Ob culpam meritos deſtruit vnda focos.

Qui ſerit in lachrymis, in exultatione metet.

CXLIII.

DOCTA dedit chartis veluti ſeſſea propago,
Hæc vox Ach. gemitus illecebraſque notat;
Scilicet illecebræ grauidæ ſunt fletibus orbis,
Illecebris grauidus fletus amore Dei;
Semina ceù fletus, quorum ſunt gaudia fructus:
Qui ſerit in lachrymis gaudia vera metet.

Actus amoris Dei ſuper omnia erebi glaciem exſiccat.

CXLIV.

CONTRITI cordis ſuper omnia ſiccat auerni
In glaciem verſas actus amoris aquas.

Iuxta illud: qui sanat contritos corde &c.

CXLV.

QVI pia scrutatur renes & corda creator,
Est tantum rectis corde medela salus.
Vera diu gremio grandescit gloria cordis,
Renibus at vix est, dum fugitiua volat.
Cum mala sit renum, bona delectatio cordis,
Hinc Deus est rectis corde medela, salus.

De vitiorum labyrintho.

CXLVI.

IN labyrinthæis vitij mens flexibus errat,
Donec ei filum gratia dia neat;
Minotaurus inest vitium, contritio cordis
Theseos illius demetit ense caput.

Pretiosa mors laboris meta.

CXLVII.

ET luit angelicæ pretium mors aurea vitæ,
Et mors vitalis meta laboris inest.
Mors, Christi lucrum, Gentis sunt verba magistri,
Iuxta gentiles sensibus illa caret;
Ergo doloris inops, & veræ prodiga gazæ
Mors cui non mitis, non cui diues erit?
Illis, post quorum vitam nonulla supersunt,
Non illis, quorum gloria semper erit.

Victoria lethi ex memoria feretri.

CXLVIII.

MOLLIA si lecti repetes memor ipse feretri,
Extremæ noctis tempus adesse ratus,
Victor eris lethi: victoria quanta feretri!
Vnde futura tibi nox, sine nocte dies.

Homo agit, quod agit.

CXLIX.

QVISQVIS agit, quod agit, cũ re, tũ nomine verè
Est homo, cui sensus frons eademque diù est.

Ex

Ex amœnitate viarum mentis inamœnitas.

CL.

ERRAT liberior dum mens per amœna viarum,
Errat, & in pœnam mox inamœna iacet.

Ex cæleſti amore amor, ex terreſtri dolor.

CLI.

IN bene diſpoſitum ſubiectum fertur vt ignis,
Sulphureos animos haud ſecus vrit amor.
Hinc fouet omnis amans incendia corde beata,
Par Aetnæ in flammas quem ſacer ignis agit;
Quem terrenus agit, geminatis ignibus ardet
Hic, quorum finis nonniſi fœda cinis;
Ille vomit flammam, flammam ſed ſemper amoris,
Quam vomit hic ſemper flamma doloris erit.
Felix, qui flammis vtriuſque peritus amoris
His verit, vt quouis tempore viuat eis.

Ad Seruum Dei Bernardinum à Nurſia Cleric. Reg. Min. infirmorum, qui ſibi maxillarum vna percuſſa, alteram amore Dei percutiendam porrexit.

CLII.

MVNDVS ait, ſi quis colaphos infregerit ori,
Eius tranſadigat cuſpis acuta latus;
Qui maxillarum contra percuſſerit vnam,
Illi mox aliam porrige Chriſtus ait.
Exequeris vultu Chriſti mandata ſereno,
Pro vero, fictus ſpernitur orbis honos.
Stat tibi plus cœli, quàm terræ gloria: mundi
Non eſſes ſaluus, ni perijſſet honos.

Virtutis de fortuna triumphus.

CLIII.

EST ſuper imperium fortunæ viuida virtus,
Affectus animi quæ ratione premit.

Sortis opes nam ſcylla vorat ſi naufraga, virtus
Vnà nobiſcum littus adire poteſt,
Huius fructus opes diuturnus, honoris ad ædem
Nonniſi virtutis callis ab æde patet.

Dignitas declarat, non facit hominem.

CLIV.

HAVD faciunt hominē, declarant munia, virtus
Non hominum trabeas, pectora recta colit.
Sunt Sale perdulces, quorum naſcuntur in ore
Voces, doctrinæ pectora rore madent;
Hinc cæcè collata viris quàm purpura ſæpe
Qui dedit indignis, eius in ore rubet;
Laudibus illuſtrat ſed contra ſera datorem
Purpura, quæ meritis nam venit, æqua venit.

Ex virtute bonum, ex otio malum.

CLV.

EDITA ſummi
Arcis Olympi
Sceptra tenentis
Semine virtus,
Meta malorum,
Terrigeniſque
Cauſa bonorum,
Eſt ſine rectis
Mortua factis;
Fons vitiorum
Otia contrà,
Cauſa malorum,
Atque vorago
Dira bonorum,
Tabida mentem,
Peſtis, & artus
Afficit heù!
Morte perenni.

Hor-

Hortatur senem auarum, vt se ad meliorem frugem recipiat.

CLVI.

CVR annose senex maiora viatica quæris?
 An tibi quæ superest pars minor illa viæ?
Es tibi qui nequam, cui proderis? an tuus hæres
 Mox male quæsitas dilapidabit opes?
Exue nunc hominem veterem, dum sidera vili
 Aurea mercari sis potis asse poli;
Macte senex, vitæ pudeat te turpiter actæ,
 Est nunquam serò pœnituisse semel.

Extrema gaudij luctus occupat.

CLVII.

FINIS adulantis veluti dulcedo palati,
 Cui cordi stomaci cura, salusue parùm est.
Non cor, sic risus labrum tantummodo mulcet,
 Si mulcet, cuius flebilis vnda comes.

Ad Pætum aulicum.

CLVIII.

QVI fieri mi Pœte potest, fel nescio quidam
 Corde gerit, verbum mellifluumque ferit;
Induit agnorum vultum faucesque luporum,
 Istius fies, ni sapis, esca lupi.
Sis prudens veluti serpens, instarque columbæ
 Simplex, ars aulæ luditur arte pari.

Ad eundem.

De Dæmone & amore Platonico.

CLIX.

SI Dæmon turpis, veluti depingitur, esset
 Spectandus, quis ei non citò terga daret?
Callidus, vt fallat, comparet lucifer ore,
 Noctifer & factis ignifer vsque cremat;
Sic, cohonestatur qui luce Platonis, amoris
 Nonnisi Plutonis terminus ignis erit.

Fœmina dulce malum.

CLX.

HAVD in amore modũ seruãs, fit seruus amoris,
Sæuit in autores immoderatus amor.
Ebibit ex oculis fugitiuæ incendia formæ,
A quibus in cineres Troia redacta iacet.
Fœmina dulce malum, blandè dum lumina pascit,
Tunc animam cœco corripit igne proci.

Is fame perit, quem auri fames execranda ferit.

CLI.

AVREA mensa cibus solido cælatus in auro
Vt potuere Midæ plus acuisse famem:
Quæ fuit ex auro conuiuis esca malorum,
Luxuries poterit sic stimulare famem,
Sic stimulare famem poterit, satiareque nunquam,
Nam ieiuna diù qui satiare potest?
Auri dira fames conuiuas opprimit vsque,
Nec mirum, semper nam perit illa fame.

Omnes gloriæ non autem crucis, amatores.

CLXII.

CVM Christo cælis nasci quicumque peroptat,
In cruce cum Christo sed quis obire cupit?
In domibus videt hanc alienis quisque libenter,
Hanc vno retrò sed pede quisque colit.

In diem Defunctorum.

CLXIII.

NEC mage mœsta dies istã, nec lætior albet,
Qua Deus impertit præmia digna viris;
Præmia digna viris sunt tartara, digna superbis,
Præmia digna viris sidera, digna bonis;
Hæc suprema dies est vltima linea rerum,
Quæ bona dat cuiuis, quæ mala, semper erunt.

Ad Lectorem.
Iuxta illud: tu solus sapiens.
CLXIV.

AN sapiens detur toto si quæris in orbe,
Haud datur, haud dabitur, nec mihi crede, fuit.
Insipiens ergo omnis? non, sapientis is vmbram,
Qui minus ignorans esse videtur, habet.
Ergo Deus solus, cuius cognoscere rerum
Est causas, sapiens solus, habendus erit.

De Loth coniuge.
CLXV.

IN statuam Loth versa salis temeraria coniunx
Est intellectus deficiente sale;
Plus salis ergo tenens sapijt num plura? sed vltra
Quam satis est sapiens, en sapit illa nihil.

De correctione fraterna.
CLXVI.

NON is corrector, potiùs corruptor habendus,
Vulgo ad iudicium qui malefacta vocat.
Sit vacuus culpa, ne culpa redarguat ipsum
Effluat ex eius mellis & ore fauus;
Apto corripiet si solum tempore solus,
Is bene corripiet, cor rapietque virûm.

Verè felix, qui intus felix.
CLXVII.

FELICIS verè nomen non ille meretur
Extra qui felix, sed miser intus inest.
Iure sibi nomen felicis vendicat ille,
Qui miser est extra faustus at intus inest.

Ad eundem.

CLXVIII.

NON felix, homini quia felix esse videris;
Sed felix, talis si videare Deo;
Nam videt in facie mortali semine cretus.
Ast in corde meus, spes, via, vita Deus.

Finis Primi Libri.



VM-

VMBRARVM GENIALIVM IO. FRANCISCI RAYMVNDI CESPITELLENSIS.

Liber Secundus.

HEROICARVM.



Ad Illustriss. & Excellentiss. D.D.
PETRVM AB ALTAEMPS
Ducem Ciuitatis Gallesii &c.

I.

CVM palmis cbiter clarissima gesta, triumphos
Grata Domus vestræ tāgere musa cupit;
Ferre sed ipsa potest: inopem me copia fecit,
His etenim numero cedit arena maris;
Nec mirum! vestros fautor nam vibrat in hostes
Noxia, sed vobis fulmina clara polus;

Hinc

Hinc puto tantus amor rapitis quo corda virorum;
Nascitur, immemores quos facit esse sui;
In vobis etenim viuunt, vos viuitis illis,
Hinc & viuetis semper in ore virûm.

Eidem Petro ab Altæmps Duci Ciuitatis Gallesij, &c.

II.

PALLADIS in castris quãuis tua tempora fertis,
Nec cingis, nec habes laurea serta comis,
Bellica nec digitis operosis palma virescit
Fœta cadaueribus fo:a cruore virûm,
Non desunt flores, quæis nectas florea vincla,
Priuatè ducis dum sine labe dies;
Exul enim terris, homines Astræa reuisit,
Ponat vt ipsa tuis florea vincla comis.
Gratia, Iuno, Venus varijs te floribus ornant,
Te reliquis ornant vberiore manu.
Pulchrius esse potest sertum num stemmate amoris,
Quo tibi corda studes concilianda virûm?
Cum lætis lætus, cum mœstis sis quoque mœstus,
Cedere temporibus scis, amor ipse manes.
O amor à nullis æquè celebrande virorum
(Laus etenim meritis non erit æqua tuis)
Viuificis famulum telis hoc percute pectus,
Deque tuo felix vulnere vita fluet.

Roris facundia Gallesina in Vrbe eiusdem Petri Ducis ab Altæmps munificentia Erumpentis.

III.

IGNITIS Petri votis accensa, renasci
Vt possent mentes arida fudit aquas;
Torrida lympha siti quæ corpora perimeo, Petri
Sumptibus immensis obsequiosa beo.
Ille regit mentes, Dux corpora Petrus ab Altæmps:
Diuisum imperium cum Ioue, Petrus habet.

De

De Altæmpsiana Domo.

IV.

SANGVINIS ista Domus nulli splendore secũda,
Viginti supra cui duo secla nitent.

De Illustrissimo, & Excellentissimo D.D. Io: Angelo ab Altæmps.

V.

FLORE viget medio, fortunæ munere clarus,
Mars armis, linguá Pallas, & ore Venus.

Ad Fortunam.

De Illustrissimo, & Excellentissimo D.D. Francisco Petri Ducis ab Altæmps primogenito.

VI.

NEc magepulchra dies, nec faustior altera surget
Qua mihi dat Princeps quæ dare cũcta potest,
Dat sua quosque mihi flores collegit in horto
Dextera, cum violis lilia nexa rosis;
Et quæ dat flores promisit dextera fructus
Floribus æquales: quàm mihi fausta dies!
Siste rotam Fortuna tuam tantisper, acuto
Donec eam clauo fixero, siste rotam.

Ad Cæsarem Augustum
Cui prægnans Liuia viuente marito, duobus iam editis & viuentibus liberis, nupsit.

VII.

SEX à coniugio tantùm vir mensibus actis
Vnius gnati cum pater esse queat.
Ter felix Auguste viges, tibi plaudit olympus,
Tergeminam prolem cui dedit vna dies.

Ad Regiam Celsitudinem Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis, Pedemontium Principis, Cypri Regis, &c.

VIII.

PERGE diù felix, cælis gratissimus heros,
Eos quàm faustum nunciat alba diem!
In ma'us c. e.cit virtus exculta per artes,
Parua fuere priùs, quæ modo magna vides.
Pindaricis infusa labris hinc mella tenellis
Candida nectarei signa fuere melos;
Ambrosius sic ore tener dum mellea surit,
Ex tunc ambrosiam dicere, fundet, erat,
Lactea confregit diros, quæ dextra colubros
Herculis, hæc hydris abstulit ense caput;
An Dux Aematius qui lenijt arte furorem
Spumantis mundum subdidit inde sibi?
Mella tuis fluitant e labris Carole, dextrâ
Iam perimis colubros, Dux domitorque virûm?
Quid sperare datur roseo Thaumantidos ortu
Tam fausto? Carolus sol nouus ecce nites.

Eidem auguratur æternitatem.

IX.

SOL Carolus terris ortus non occidet vnquam,
Ter felix, in quo sol rotat iste, solum!

Ad Regiam celsitudinem Christianæ Ducis Sabaudiæ, &c.

X.

TV Cypri Regina micas clarissima Regum
Et soror & mater, filia, sponsa, nurus;
Nec satis est meritis; in summi Christus amoris
Signum te voluit nomen habere suum.

De

De Alexandro Apellis.

Ad perill. D. D. Dominicum Latinum à Monte Vlmi ſibi familiariſsimum.

XI.

DEXTERA pellei iuuenis, quam pinxit Apelles
Eminet hæc vmbris ſic animata manus,
Vt ſine fulmineo ſtrepitu, cæloque ſereno
Sit, qui, ne vibret fulmina dextra, timet.

De puero bibenti eiuſdem Apellis opere præclariſsimo.

Ad perill. & Adm. R. D. D. Ioannem Baptiſtam Conradum à M. D. Pauli Aſculanum Picenum libri, qui Magiſter Romanus inſcribitur Autorem ingenioſiſsimum.

XII.

GLORIA Piceni, Romæ Conrade Magiſtri
Laus cui iam ſurgit non habitura modum,
Ebibit ecce puer tam clarè pictus Apellis,
Vt puero ſolum verba deeſſe feras.
Siſte gradum biberit donec puer iſte, bibenti
Qui reſpondebit verba deeſſe tibi.

Loquitur Soſpitellum de ſeipſo.

XIII.

SOSPITA ſum tellus: hinc longè pello ſuperbos,
Stringo bonos, prauos eijcioque foras.

Ad Milonem

De Vrbe Ceſpitellenſi ficis affluentiſsima.

XIV.

ITALA num ſit humus ficis fœcundior vrbe
In dubio patriâ mens mea Milo labat.

Vt

Vt liquet hæc ficus modiorum pluribus annis,]
Si non plura dedit, millia bina dedit.
Quas & equis ficus, & mulis tradit edendas
Delicias alibi diuitis esse liquet

Ad Ill. & Excell. D. D. Alexandrum Albertum I.V.D. Aduocati munus feliciter obeuntem. De ficu in sacra Sospitelli Turri luxurianti.

XV.

SACRATAE turris quàm mira potentia ficus;
Vrbis sit patriæ nemo referre potest.
Attrahit vt magnes ferrum, violentior ad se
E longis ciues partibus ista trahit.
Hac de re quidam mirantur: an omnibus extat
Dulcis amor patriæ? dulce videre suos?

Ad Cespitellenses.

XVI.

CVM rutili decorent vrbes & compita fontes,
Vrbs propè nec sit aquis deliciosa magis,
Cur non vndantes exurgunt vndique fontes?
Cur hos non vobis multiplicare placet?
Vt video, vobis Tethydis non, vnda lyei
Sed placet, & fumo plus caro tosta placet.

Ciuitas Cespitellensis ad Autorem, cum eiusdem responsione. De præclaris suarum puellarum formis ac sanguine, vt plurimum alibi nubentium.

XVII.

COMPLEXVI nostro Veneres tot inesse, puellas
Quot cernes, dices, est vbi casta Venus.
Quid prosunt flores animatis inclyta plantis
Vrbs? en externus præcoqua poma rapit?
Quid prosunt flores? decerpto fœmina flore,
Poma, licet sterilis, quotquot amara parit?
Si potes ipse frui veris sic flore perennis,
Et vitare diù frigida tela Iouis;

Cur

Cur tanti facienda breui peritura voluptas,
Quæ tibi perpetuo tormina mille feret?

Eadem ad eundem cum eiusdem responsione.

XVIII.

SOSPITA sum tellus, quidam dixere nouercam,
Hospitis est maior quòd mihi cura meis,
At malè, namque meum nomen si mente volutant,
Maiores partes hospitis esse patet,
Vocibus hisque parùm crucior, nam mœnibus ista
Communis paruis esse querela solet;
Haud multum sapiunt; nostris num percitus hospes
Delicijs meus ex hospite ciuis erit?
Ciuis erit; libres æquâ ni lance sed ambos,
Hospes ciuis erit, ciuis at hospes erit.

Oda.
Ad floridam Sospitelli iuuentutem. In Academiæ Cespitellensis erectionem.

XIX.

CESPITELLENSIS iuuenis choræas
Ducito, musis comitatus ad te
Venit è claris Heliconis vndis
Diuus Apollo.
Dicito mox Io, triumphet Io,
En adest Pallas genitusque Maia,
Collocent sedem sibi quò perennem
Amphiteatro;
Qualis at rumor volitat per auras?
En quidem certant cumulare donis
Te suis, dando fore primus ambit
Quisque Deorum;
An vides lauro viridanti serta
Texta per musas? roseumne cernis
Palladis gratum diadema munus
Mercurijque,

Millies felix iuuenis! beatum
Te canam verè, redimere cuius
Floridam frontem nitidis corollis
Numina certant.

Ad eandem.
In explicationem dicti, eiusdem Academie Cespitellensis: MVNIT & ORNAT.

XX.

QVISQVIS es ò iuuenis, frontē redimire corollis
Qui cupis, hic adsis corpore, mente magis.
Hic, vbi castra locat cum Musis Diuus Apollo,
Artibus aonijs inuigilare potes.
Palladis omnigenas caput hic efferre per artes
Es potis, & fieri Martis & Artis honor;
Præcingent omnes viridanti tempora lauro,
Martia cum lauro, palma virescet ouans.
Sospita quàm felix tellus! cui numina præsunt,
Quorū vis studiū, MVNIT, & ORNAT, HVMVM.

In laudem Academiæ Cespitellensis amphitheatri scenæ assimilatæ.

XXI.

QVISQVIS aues escis animum corpusq; replere
Amphitheatralis has tibi scena dabit.
Hic adsunt pisces, volucres, animalia quæque,
Quicquid & in toto clauditur orbe boni.
Hic mixtis nimio vitijs cum felle relictis
Virtutis pingui nectare mens alitur.
Non hic ambrosias dulci cum melle requires,
Quandoquidem virtus est sibi sola satis.

Ad Dominicum Raymundum tempore pestis, Sospitellensis Vrbis Conseruatorem.

XXII.

AVSONIIS infesta plagis, infesta colonis
  Ibat cuncta metens sanguinolenta lues.
Non viget æstiuis tot flauus campus aristis,
  Vere tot haud redolet trinacris hybla thymis,
Nec tot in autumno fluitant ex arbore frondes,
  Quot letho pestis corpora sæua dabat;
Vrbis cum patriæ cælo nigrescere nimbus
  Pestifer est visus, cæpit & atra lues.
Iam tribus infectis erat additus angulus vrbis
  Quartus: erat nullus purus in Vrbe locus.
Hinc timor, hinc gemitus grassanti funere peste;
  Obuersabantur cuncta per ora neces.
Tunc tibi commissas cernens Raymunde per auras
  Pestiferas nubes, quæ tibi cura fuit?
Non tibi, concliui quò viuas, viuere curas,
  Horroremque necis, ne moriatur, amas.
Non medicina deest animæ tum corporis vlli,
  Chirurgus, physicus, non cibus, vnda, focus;
Sol velut alter ades, nimbos qui peste nigrantes
  Lumine purificas, eniteantque facis.
Quæque prius nubes adimebant lumina vitæ,
  Quò feruent vitæ lumen, vt astra nitent.
Ex hominum quinis infectæ millibus vrbis,
  Quàm mirum! quini non obiere lue.

Ad Sospitellum In eiusdem interitum.

XXIII.

INDVE iam mœstos mecum sub pectore vultus
  Patria, communem collachrymare patrem;
Interijt terris oriens Raymundus in astris,
  Qui prius ex astris missus ad ima fuit.
Hic dedit esse mihi, puerum seruauit, alendum
  Curauit studijs, moribus atque pijs.

Hoc ſtetit eſſe tibi peritura peſte malignâ,
Huius ab auxilijs eſt tibi facta ſalus.
O quoties ſtudijt funeſtas tollere lites
Electus iudex conciliando viros!
Præmia quæ referes meritis vrbs patria tantis?
Vrbis ſeruator ſit, patriæque pater.

De eiuſdem Epitaphio ſuper tumulum.

XXIV.

NON perijt, viuit Raymundus mortuus: ergo
Defunctus viuit? viuit in ore virûm.

Adm. R. P. Franciſco Blancardo à Soſpitello Regiæ Celſitudinis Ducis Sabaudiæ Theologo.

XXV.

SI laudes Franciſce tuas perhibere cupido
Eſſet, ſufficeret non mihi tota dies,
Namque tuas magni faciat cum Patria dotes,
Quam procul à Laribus vir venerandus eris?

Ad Illuſtriſſimum D. D. Ioannem Baptiſtam Blancardum Soſpitellenſem iã Taurini legum primarium lectorem, magnique nominis Senatorem.

XXVI.

QVI modò Taurini primarius ardua lector
Iura docet iuuenes hac grauis arte ſenex?
Qui dum quid profert, profert oracula ſemper
Interpres legum mentis, Apollo recens?
Qui potis eloquio, rutilo præclarus & oſtro?
Quique ſenatorum gloria, ſplendor, honos?
Tu Blancardus eris, tibi floret adorea legum,
Hac tibi qui nullum noſcis in arte parem.

Ad

Ad perill. & adm. R. D. D. Fabium Sanctarellium amicum suum. Alludit ad nomen.

XXVII.

TE sanctum natura dedit genitricis ab aluo,
Sanctior es factus moribus inde pijs.
Pictores ambo clara præcellitis arte,
Tu perfecisti quod generauit opus;
Talibus hinc gestis magnæ dignissima laudis
Hæc, sed maiori dignior ipse manes.

Ad Illustrem, & Excellen. D. D. Petrum de Præsbiteris familiarem suum. De Niobe Francisci Gratiæ sculptoris celeberrimi.

XXVIII.

IN silicem conuersa rudem sipyleia mater
Gratiaco ad viuum marmore sculpta nitet,
Sic gemit extinctos genitrix extinctaque gnatos,
Eius vt e toto corpore gutta fluat.
Gutta fluit, Niobes quâ naufraga vita remansit,
Dum nimiâ sterilis fertilitate fuit.
Nil præter sensum cupies in marmore, sensu
Quò caruit quando læsit vtramque Deam.

Ad perill. & adm. R. D. D. Abbatem Fulgentium cum anagrammatismo.

XXIX.

IVSTIOR haud vllus viuit, nec mitior alter,
In te nam FVLGENT IVS, pietatis amor.

Adm. R. P. Lucido Mancinello à M. D. Pauli Asculano S. Francisci Minoritano, Theologo Iubilato, & Concionatori.

Aureum sceptrum eloquitur.

XXX.

EX ligno sceptrum fuluo circumdor ab auro;
Quos arcet lignum, lamina flaua trahit;
Quis mihi non seruit? do lignea præmia prauis
Digna suis meritis, aurea digna bonis.

Ad Venerem Praxitelis E marmore sine pedibus deductam.

XXXI.

AD quid Praxiteles dia te condidit arte,
Et te de niueo marmore duxit opus?
Marmora cur voluit plantis animata carerent?
Ne fugerem viuens & crepidata Venus.

Ad Illustrem, & Excellentem D. D. Ioannem Franciscum Pellegrinum I. V. D.

XXXII.

CVM tibi cura mei sit, & optes Nestoris annos,
Ad quid, ais, Musæ totus es ipse sacer?
Hæc tibi dimidium vitæ detruncat, & ante
Tempus funereum præparat ista rogum.
Erras: abbreuias longæ mihi tempora vitæ;
Dum longæ vitæ consulis ipse meæ.
Virtutum genitrix studijs sapientia floret
Cuiuscumque boni vera ministra, comes.
Esto Mathusalis traducam secula vitæ,
Illa tamen mortis desijt icta plagis,
Innectam verò si lauro tempora, radix
Aeternæ vitæ vita futura breuis.

Ad

Ad Illustrem, & Excell. D. D. Ioannem Baptistam Laugerium I.V.D. bonorumque patriæ conseruatorem.

Cum anagrammatismo.

XXXIII.

CVM nequeat minui ius, niL AVGERIer Vrbis
Per te, sic firmum ius manet atque viget;
Quis stupor inde suum coxit si terra propinqua;
Nostraque de reliquis vnica firma viget?

Ad illustrem, & Adm, R.D.D. Ioannem Baptistam Vacherium perpetuum Cõmendatarium Ecclesię Sancti Michaelis Ciuitatis Sospitelli.

XXXIV.

EST ouium commissa tuæ custodia curæ,
Est etiam pecudum cura tributa tibi;
Hanc natura dedit, prudentia contulit illam;
Officio miro pastor vtramque geris.
Cum sit & ambiguum qua sis præstantior arte,
Est meritis duplex danda corona tuis.
Viue diù felix & ternam necte corollam,
Hac etenim summus pastor in Vrbe fores.

De perillustribus D.D. Carolo Vitutio, & Vincentia Gardula eius coniuge præclarissimis ciuibus Narniensibus.

Alludit ad eorum nomen.

XXXV.

VIR Carolus fortis, fortis Vincentia coniunx,
Quis mage sit fortis nunc mea Musa cane.

Nomine fit victus Carolus, Vincentia Victrix,
Illi re vera victa dat ista manus.
Victores ambo, pariter sic victus vterque:
Vnio quàm felix fœmina virque pares!

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. D. Virgilium Spadam Eleemosinarium Secretum SS. D. N. Papæ Innocentij Decimi.

XXXVI.

E Roseis aurora plagis, vbi luce corusca
Flammigeris imponit equis vndantia lora
Vsque per idæas, Titan vbi pallidus vndis
Immergit currum fessus, quo purpurat orbis,
Nomen ijt pietate grauis, certamine fortis
Troiani herois, placidè dum Musa Maronis
Corda sonora fidis tetigit, nomenque sacrauit
Sideribus nullo periturum temporis æuo.
Aurea Virgili si flumina fama perennis,
Quæ tua clauigeri cæli diffundit egenis
Dextera tranando faceret pastoris imago
Iret in ora virûm totum diffusa per orbem,
Gloria magna foret cuiuis concessa virorum,
Gloria parua foret tibi soli facta virorum.

Ad perill. & adm. Excellentem D. D. Hyacinthum Totium I. V. D. Sibique peculiari necessitudinis Vinculo adstrictum.

XXXVII.

QVI teneris binos manibus colliserat angues
Alcides, hydræ perdidit inde caput.
Ardua sunt angues iuuenis quæ iura resoluis,
Cum fueris hydræ virque peremptor eris.
Herculis ille labor, Totij labor iste feretur,
Hydra triumphus erit Herculis, hydra Toti.

De

De Illustrissimo D.D. Philippo Francisco Estensi, Marchione Lantij & Drognerij, &c.

XXXVIII.

EST amor, ensis, honos, Drogneri Marchio Lāti,
Hæc natura dedit, robur at illa dedit.
Nomen amatorem spumantum grande Philippi
Signat, Francisco quid venit? Vrbis honos.
Estensi fertur claro de sanguine cretus,
Ensis naturæ munus & artis erit.
Mitto sacros mores, victus diuinitus orta
Mittitur, ingenium linquitur acre sagax;
Sit dixisse satis: superat Franciscus Auorum
Virtutem, superat grandia gesta patris,
Quæ cupis heroi tanto dare numera laudum,
Lingua Sile, solum sic celebrare potes.

Ad Illustrissimam D.D. Margaritam Estensem prædicti Marchionis coniugem.

XXXIX.

QVID conor frustra numeroso dicere versu
In te quæ dotes enituere diù,
Quandoquidem vires excedit? regia proles
Margaris Estensis Margaris vna micas.

De arbore mali masilici.
Ad perillustrem D.D. Ioannem Castellum beneuolum suum.

XL.

PVLCHRIOR hac orbi non est nec ditior arbos,
Frons cui, flos ipso tempore, fructus inest.
Aes etenim truncus, referunt oricalcaque frondes,
Argentum flores, aurea mala nitent.

Ad Ill. & adm. R. D.D Iulium Riccium Priorem de Virgis I.V.D.

XLI.

VINCVLA noſtrorum quæ coniunxere parentũ
Mentes, nunc eadem pectora noſtra premunt.
Quo tuus ò Iuli genitor dux præfuit armis
Tempore, tu pariter Dux animabus eras;
Quod ſi plus animis eſt dandum corpore ſemper;
Te patre maiorem quis neget eſſe tuo?
Maior es, aſt cum te maiorem fecerit, in ſe
Non erat, ò mirum! quod dedit ipſe tibi.

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D.D. Ioannem Baptiſtam Mutum de papazzurris olim Abbatem nunc Vtriuſque Signaturæ Referendarium Apoſtolicum.

XLII.

BOS mutus primum Thomas eſt dictus Aquinas,
Cuius mugitu contremuere poli.
Nunc Abbas Mutus tu dicere: faxit olympus,
Abbas vt ſummus ſis vtriuſque poli.

Ad illuſt. & adm. R. D. D. Alexandrum Borriglionum Sanctæ Mariæ de Villanoueta Priorem digniſsimum.

XLIII.

FLEVIT Alexander tumulum dum viſit Vliſſis
Laudatum, fuerit vir licet ipſe ferus.
Compreſſis lachrymis, ter felix, inquit, Vliſſes
Es, tua quod tantus geſta poëta canit.
Alter Alexander lachrymis non frangeris vllis,
Aſt ego, quòd nequeam geſta referre tua.

Ad Musam
De perillustri, & adm. Excellenti D. D. Bartholomæo de Gubernatis I.V.D. & Vneliæ Præfecto.

XLIV.

MVSA gubernantes miro virtutis odore
Quæris? in his præsto Bartholomæus erit:
Sanguine qui natus claro, florentibus annis
Arte senex, micuit marte togaque potens,
Hinc ob vtrumque grauis vixit pergratus in Vrbe
Nonnullis, quorum purpura sæpe beat;
Inde gubernandas patrias reuocatus ad Vrbes
Ordine quàm miro munia summa gerit!
Vneliæ demum iuri cum præsit & armis,
Armis insignem quis neget atque toga.

Ad perillustres D.D. Franciscum & Marium Ciantes.

XLV.

PERGITE felices, felices pergite Ciantes,
Aetas quàm spondet grandia, parua licet,
Quæ licet haud vobis inter iuuenemque senemq;
Est tamen ingenium, quod solet esse viris.
Si vestris meritis, & nostris sidera votis
Respondent, non quid concupiatis erit.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. D. Iosephum Ciantem Marsici Episcopum, qui D. Thomam contra Gentiles in hebraicum idioma traduxit.

XLVI.

QVisquis in auricomum defigit lumina phebum
Immensa lucem cernere luce nequit.
Immoto Ciantes, aquilæ generosa propago,
Lumine, phæbea luce potire diu.

Hinc tibi lux, ardor, vitæ cælestis origo,
Nam viuens ardet sol tuus, atque micat.
Quin radijs tantis te sol exornat Aquinas,
Vt niteas cunctis phæbus in orbe nouus.
Christiadum cælum, cælo felicius omni,
Quòd bini soles luce perennè beant;
Axe fouet radijs sub vtroque iacentia Thomas,
Frons radiosa polum lustrat vtrumque tua,
Finibus occiduis radijs tua tempora Thomæ
Vallanti roseum das oriente iubar.
In Thoma Ciantes, Thomas in Ciante nitescit:
Est indiuiduæ lucis vterque sator.

Ad perillustrem D. D. Paulum Petrum de Actis Tudertinum. De malis punicis, hoc est granatis.

XLVII.

IMperium, quos arbor alit, (ni lumina fallunt)
Fructibus in cunctis punica mala tenent.
Purpureum corpus byssum circumdat & aurum,
Cum sceptris ornat fulua corona caput.

De Roma. Ad Illust. & Adm. R. D.D. Honoratum Gauterium optimum grammaticum, iam præceptorem suum.

XLVIII.

QVinis Roma licet fuerit mihi patria lustris,
Attamen est nullo tempore nota mihi.
Sanguinis haud patuit splendor, nō purpura Regū,
Non byssum, Regum non patuere Domus.
Vix e romuleæ discessi finibus Vrbis,
Cum qualis fuerit quàm bene nota fuit!
Sic est, fit qualis, qui vult cognoscere, Roma
A Roma, vt Romam noscat, abesse velit.

Ad

Ad Sophistam. Lumen ab vmbris.

XLIX.

DVm noctis tenebris hominum mens septa moratur,
O stupor! eterno lumine digna facit;
Digna; sed è contra tenebrosa nocte reponit,
Centenos oculos dum velut argus habet.
Solue sophos nodos; melius num lumina centum
Illustrata die, quàm duo nocte vident?
En soluo nodos: vnitum robur agentis
Magna agit, in partes diuide, parua facit.
Id liquet in Solis radijs; cogentur in vnum
Si punctum, summi causa caloris erunt.

Ad Anacarsidem.

L.

CVr premis os dextrâ, leuâ pudibundaq; linguâ
Luxuriem citiùs cum ditione premam.

Adm. R. P. Placido a Sospitello Min. Obs. Amico suo.

De Diogene ambulante vt motum, quem dari Zeno negabat, suo motu confirmaret.

LI.

COnfirmaturus motum, quem Zeno negabat
Errat, & errando plus bene fando docet.
Quam sapiens error! cuius doctrina perorat
Tam potis, vt vincat muta vel ipsa sophos.

Adm. R. P. Carolo Mariæ Lomellino á Genua Ord. S. Frācisci Capuccinorum Gallesina in Vrbe Concionatoris munus peregregiè Obeunti.

LII.

INtexit roseum Pallas tibi Carole sertum
Præconum verbi lux veneranda Dei.

Laurea nec deerit, deerit nec adorea laudis,
Queis tua gemmascant tempora cincta diù;
Nam nectunt gemmis radiantia stemmata dotes,
Quas non ex æquo sum celebrare potis.
Laurea sit phœbi, penetras qui cælica mente,
Quanto plus poteris cor penetrare virûm?

Ad Eminentiss. Principem Franciscum Sancti Adriani Cardinalem Maidalchinum.

LIII.

ET tibi carus eram valdè iuuenilibus annis,
Et dedit ambobus mensa superba cibos,
Degere nunc tecum regnanti gloria magna
Est, & purpureis oscula ferre togis.
O vtinam bysso, tyrioque superbus in ostro
Oscula cui demus des aliquando pedem.

De adm. R.P. Theophilo Raynaudo Soc. Iesu, iam Theologiæ in Romano Collegio Lectore.

LIV.

QVi modò Raynaudus sacras exponit in Vrbe
Nostræ scripturas Vrbis alumnus adest.
Dicere quis valeat capiat quæ pectore? libros,
Quos dedit in lucem, quis numerare queat?
Immortale decus peperit tibi Patria: prolis
Quæ reddes tantæ præmia digna tuæ?
AEnea pro libris ill. monumenta sacrato,
Immortale decus sic retulisse potes.

Ad Condiscipulos.

De Nanio in Romano Sapientiæ Collegio primario legum lectore.

LV.

QVàm Nanio dispar nomen! qui lector in Vrbe
Primus & est, primas ex reliquisque refert.
Pyg-

Pygmæum dicam, nomen pendendo, giganta
Si rem verò, gigas Nanus & vnus erit.
Currite vos iuuenum coetus, noſtroque ſalutem
Dicite lectori, dicite, lector aue;
Lectoris tanti veſtigia quippe premendo;
Pygmæus quiuis fiet in Vrbe gigas.

Ad Romam.
De inſignibus Eminentiſsimi Principis Bernardini Spadæ S. R. E. Epiſcopi Cardinalis Albanenſis.

LVI.

E Paradiſiacis expulſo ſæpibus Adæ
Flammigero reditus Angelus enſe negat;
Hinc inter ſpinas lachrymarum flumina fundens
Lilia peccato contemeraſſe gemit,
Hæc depicta Spadæ ſpectas in ſtemmate Roma,
Hoc eſt cum gladijs lilia picta vides.
Eſt Spada terreſtris paradiſi cultor; Olympi
Olli ſi claues Petrus vtraſque dabit,
Enſibus, vt cernis, poſitis iam lilia plenis
Dat palmis; Orbis mox paradiſus erit.

Ad Illuſt. & Excell. D. D. Franciſcum Trantium I. V. D. Vrbis Iudicem.

LVII.

QVàm meritò collatus honos tibi iudicis Vrbis,
O Tranti noſtræ ſplendor & Vrbis honor.
Immaturus enim quamuis florentibus annis
Sis, quàm maturus diceris arte ſenex.
Si tua præcurrit prudentia tempora tantum,
Dic mihi: maturo tempore qualis eris?

De

De Illuſtri D.D.*Imperiale Vaccherio Soſpitelli Syndico.*
Ad Lectorem.
LVIII.

QVæ gerat Imperial patria ſi poſcis in Vrbe
 Imperat & ſeruit ciuibus ipſe ſuis.
Aſt vt præcipiens alijs famulatur iiſdem?
 Iuſſa capit primùm qui dare iuſſa cupit.
Quod gerit imperium nomen prædixerat ante,
 Nunc meritò imperium nominis omen agit

Lumen ab Vmbris.
Ad Illuſt. D. D. *Auguſtinum* Fontanam *à Suriano.*
LIX.

DOnec Areopagus mentem ius fecit in vmbris
 Ne deformarent forma, propinquus, opes,
Clarior haud vnquam terris Aſtræa refulſit,
 Frondea cui multum luminis vmbra tulit.

Ad Illuſt. D. D. *Aſcarum* A*ſc arum neceſſarium ſuum,*
De *Hortis maximæ Nauis*
Ducis Ghiſæ.
LX.

GEmmantes gerit hortus opes hic ſolis ab ortu
 Ad finem pomis fertilis atque roſis.
Alcinoi ſileant pomaria, theſſala Tempe,
 Diuitias Hyblæ ſupprimat Enna ſuæ;
Atque ſemiramidis taceat iam penſilis hortus,
 Nam ſuper vndiſonas fertur hic hortus aquas.

Ad

Ad Eminentiſs. Principem Ioannem Baptiſtam de Alterijs S. R. E. Epiſcopum Cardinalem Tudertinum, cuius in ſtemmate ſidera introſpiciuntur.

LXI.

ALter eris, ſi fata ſinent Alterius Vrbis
 Splendor, cardinei gloria rara chori,
Dum tua Romano ſplendeſcent ſidera cælo,
 In quo gemmaſcens ſol velut alter eris.
O quàm fauſta dies! aderit ſi dicere Romæ,
 Immenſis aderas plauſibus alter heri.

Epitaphium.

Adm.R.P.Ludouici à S.Raymũdo Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Neapoli Viſitatoris generalis.

LXII.

QVisquis es hos tumuli verſus qui lumine luſtras
 Candida Raymundi tu monumenta legis.
Cultibus iſte ſacris addictus flore iuuentæ
 Perpetua fruitus virginitate fuit;
Addidit vt vires ætas ad grandia natus
 Pene tulit totum Relligionis onus;
Ingemuit nunquam curarum pondere preſſus,
 Nec viſus curis ſuccubuiſſe fuit.
Principibus latij carus, dilectus hetruſco,
 Vt fixit Piſis clara theatra ſophis,
Italiæ gratus, cumarum gratior Vrbi
 In qua perplacidè præfuit arte ſuis,
Vix vbi monſtratus terræ, gratiſsimus aſtris
 Venerat vnde prius redditus ipſe fuit.

Ad

Ad fratrem ſuum Raymundum à Soſpitello nucupatum, qui D. Franciſco nomen dedit, cum eiuſdem reſponſione.

LXIII.

RElligionis amans matrem cur deſeris? orbem
 An dedit, heù pro te quot mala ſuſtinuit!
Relligionis amans meliorem quærito matrem,
 Nam dabit iſta polum, ſi dedit illa ſolum.

Ad Ioannem Baptiſtam Raymundum.

LXIV.

DElicias vrbis, ſeu pinguia rura colendo
 Sub vultu ſemper ſint monumenta patris.
Vrbis amans poteris ſtudium conciuis amorem,
 Quo ſibi captabat commeminiſſe ſui.
Ruris amans poteris fraudes vitare coloni,
 Sic in delicijs fructifer annus erit.
Ducito nec parui ſtudium, reditusque parantes
 Et ſine nube dies, & ſine labe dies.

De Marco Aurelio Raymundo ſibi ex fratre nepote.

LXV.

VIx datus eſt luci Marcus, dum traditus vmbræ
 funereæ, vitam quæ dedit hora rapit.
Clarior vmbra vale phœbea luce, nepoti
 Pandiſti noſtro quæ ſine nocte diem.

Ad Franciſcam Raymundam ſibi ex fratre neptem.

LXVI.

CReſce puella Deo primùm, poſt creſce parentis
 Sic eris & ſuperum deliciæque domus.

Di-

Diriget ille tuos greſſus, dum mente valebis,
Donec verò voles, mente valere potes,
Velle diù debes: ſuperis, nobiſque valendo,
Creſce puella polo, creſce puella ſolo.

Ad Ludouicum Raymundum.

LXVII.

AEr poſt cælum cum lymphis florida tellus
Cernitur in veſtro ſtemmate nexa ſimul;
Omnia quæ ſolis radijs gemmata niteſcunt:
Quàm claros ſignat nobile ſtemma viros!
Inde tuæ Radijs Mundum virtutis inaurans,
Quàm bene Raymundi nomen & omen habes!

Cur literis maiuſculis vbique Genuæ inſcribatur LIBERTAS.

LXVIII.

LIBERTAS Genuæ muris, plus pectore, regnat,
Quòd LIBERTATIS ſit modo ſerua ſuæ.

Ad perill. & Adm. Exc. D. D. Gabrielem de Andreis à Soſpitello I. V. D. omnigenis Palladis diſciplinis eruditiſsimum, Soſpitellique Præfectum.

Summum Ius, ſumma iniuria.

LXIX.

IN medio regnat virtus: iniuria ſumma
Ius ſummum: medium diligis atque tenes.

De Principe Caſimiro Regis Poloniæ fratre ſe ſe Lauretana in domo exarmanti.

LXX.

QVi modo fulmineus duri certamina Martis
Geſsit, & armato pectore bella tulit,

Vi-

Victor & hostili madefecit sanguine campos,
Tartarus extimuit quo Duce sæpe ferox,
Virginis in templo Laureti cedit ab armis,
Et rutilo nudum monstrat ab ense latus;
Implicat horrentem martis laquearibus hastam,
Militis & munus sustinet arma tholus;
Sic stygio rediit superato victor ab hoste,
Sic, dum se vicit, clara trophæa tulit.

De eodem in Cardinalium numerum adscripto.

LXXI.

PVrpura regales quondam dilapsa per artus
Non poterat lanas plus tolerare rudes,
Erubuit tandem, & byssum repetita decorum
Expresso tyrium murice fecit opus.

Ad Eundem & vatem & iure optimo Poloniæ Regem.

LXXII.

REgales innecte comis Casimire coronas,
Romano nexit quas tua Musa viro.
Iure corona tibi lauri nam floret, & auri,
Aurea Regis erit, laurea vatis erit.

Ad Illustriss. & Excellentiss. D. D. Ioannem Angelum ab Altemps.

LXXIII.

ANGELE quò semper crescas in maius auorum,
Maiorumque, patris grandia gesta legas.
Iste tuum patrias animum formabit ad artes,
Queis animos Vrbis conciliare potes,
Illi sed menti Sophiæ documenta locabunt,
Queis Orbi toti gratus adesse vales;
Cunctorum factus sic diues munere, clarum,
Quàm specimen cunctis Vrbis & orbis eris!

Idem

Idem suam ad Matrem.

LXXIV.

QVis poterit fari, quàm dulcia nomina matrum
Sint? Isabella rapit me mihi dulce tuum.
Me quoq; mos & amor rapiūt, quibus addis amores
Et mores illis qui tua gesta premunt;
Vt moneas nam verba ferens, oracula gnatus
Nutibus auscultans hæc tua verba facit;
Arguat vtque malum, si funditur ore querela,
Non secus ac telum membra, querela ferit;
Murice dum saturos gemmis auroque tapetes
Pingit acus iussis obsequiosa tuis,
Seù l num variatur acu, seù pensa trahuntur
Stricta colo, sileas das documenta, licèt.
Quid conor frustrà numero comprehendere dotes,
Augustus quarum terminus orbis erit?
Viue diù felix, numeres & Nestoris annos,
Vt facias natos Nestoris ipsa pares.

Illustriss. & Excellentiss. D. D. *Christinæ Mariæ ab Altæmps Duci Lantes & Corneliæ comiti ab Altæmps.*

LXXV.

PLaudite quòd vobis genitor Dux Petrus ab Altæmps,
Plaudite quòd vobis Dux Medicæa parens;
Eius sectantes sapient vestigia nati;
Ast erit istius nata premendo sagax,
Et si pressa legent amborum signa, futura
Dotibus illorum est gloria quæque minor.

Ad

Ad Illustrissimum, & Excellentissimum D. D. Petrum Ducem ab Altæmps, à quo beneficium de Iurepatronatus suæ familiæ & domus petit.

LXXVI.

QVAE peto, parua tibi sũt munera, magna rogãti;
Ast dare tu nulli munera parua soles;
Ista vel illa mihi concedito munera Petre,
Nam mihi quæque dabis munera, magna dabis.

Ad eundem,
In gratiarum actionem.

LXXVII.

VT dignas referam grates, dum vita manebit,
Sic nostro vestræ splendor in ore Domus,
Nam non ad placitum, sed vitam quando dedisti
Munia sacra mihi, tunc data vita fuit.

De florum serto à Mario de floribus, inter florum Pictores præstantissimo Illustriss. & Excellentiss. D. D. Ioanni Angelo ab Altæmps dono dato.

LXXVIII.

DAT flori flores Marius de floribus, orbe,
Quo non in toto pulchrior alter olet;
Reddita pro veris est gratia floribus illi,
Si dabit at pictos gratia maior erit;
Nec satis hæc florum Pictori gratia, cuius
Flos fictus veris emicat arte magis;
Datque manus pictæ Marij Natura tabellæ,
Cuius quot flores, tot tenet hortus opes;
Quos flores & opes quæuis mirabitur ætas
His magis ad metam se properare videns.

Ad

Ad Ouidij coniugem.

LXXI.

QVA tua Naso die cecinit præconia, mater
Hac tibi viuendi munera grata dedit.
Si cui plus debes exoptas scire, parentis
Munere mortalis, laude perennis eris.

Ad Illustrem D. D. *Florauantum suo in genere pingendi excellentissimum Suriani natum.*

LXXX.

PAVPER es, vt pictor, ferrem, ni pictor adesses,
Qui non æqualem noscis in arte tuâ.
Dum grauidos auro, pingis gemmisque tapetes,
Queis aurum, & quæuis gemma minoris erunt.
Cur non ex vno gemmas, aurumque tapete
Subtrahis? & sic ex paupere diues eris.
Diues ero, paruo sed tempore, diues at auro,
Et pictis gemmis, dum rotat orbis ero.

Ad illustrem, & adm. R. D.D. *Dominicum Ainesium.*

LXXXI.

CVM mihi defuncti fungaris munere patris,
Hinc tibi pro meritis patris habendus honos,
Debeat & multum cum Patria, faxit olympus
Nestoreum tempus sis vtriusque parens.

Alludit ad Vuam stemmatis Illustriss. & Reuerendiss. D. D. *Bernardini Roccij Vtriusque Signaturæ Referendarij Apostolici.*

LXXXII.

PENDET ab eloquio Rocci Romana iuuentus;
Cumque viris eius pendet ab ore senex,
Mirantur cuncti iuuenili pectore verba,
Quæ matura facit dulcia melle magis,

Et bene; non proprium iuuenilis fundere vitis
Vuam maturam, dulce fit vnde merum.

Ad Ill. D. D. Bernardinum Fontanam cum eiusdem responsione.

LXXXIII.

BERNARDINE decus Suriani, noster Achates
Candide, fontanæ gloria magna domus,
Qui fit fœcunda tibi quòd vicinus hiulcã
Et vastã in terrã vix comedenda tenet?
Arridetque tibi quàm pleno copia cornu,
Conciuique tuo saxa per aspra soli?
Quàm fera segnities cunctorum causa malorum!
Quà Castella Vrbes Regna beata iacent;
Desidiosus inest, inopem quem copia reddit,
Et bona de forti cuncta labore fluunt.
Non tellus fœcunda, poli quam gemmea lympha,
Humor vel fontis, frontis at vnda rigat.

Ad Musam.

De perill. & adm. Ex: . D. D. Io. Maria Cõtiloro, magni nominis, maioris indolis & virtutis, nec nõ maximè spei Romæ aduocato.

LXXXXIV.

SI cupis in laudes insurgere Musa Ioannis,
Non adeunda tibi semita trita rotis;
Summorum calcans vestigia quippe virorum,
Virtutis recto tramite culmen adit;
Hinc opus est varijs gemmascant tempora sertis,
Nam meritis tantis stemma sat esse nequit.

Ad Aeglem, à qua sibi hæreditas tradita est.

LXXXV.

GRATA diu viuens, gratissima morte fuisti;
Quandoquidem nobis mors tua vita fuit.

Ad

Ad Illustrem, & adm. R. D. D. Ludouicum Leporeum.

LXXXVI.

VOCIBVS ad numerũ, belleq; cadentibus inflas
 Ipse leues calamos, vt lubet, atque graues.
Par Lepori leuibus carmen canis ipse Leporis,
 Quod celeri cordis quàm pede tangit humum!
Parque lupo grauibus vitiorum monstra lupino
 Dente petens, morum perniciosa necas,
Sicque ferunt: pangens sed carmina plena Lepore
 Haud lepus, haudue lupus, totus es ipse lepos.

Ad Marcum Aurelium Raymundum fratrem suum, cum eiusdem responsione.

LXXXVII.

ALTIOR vt fato, cui cedunt ænea, marmor
 Sis, chartæ, pennæ das monumenta tua;
Aenea firma magis num pennâ? marmora chartâ?
 Hæc cibus an blattis? an leuis illa volat?
Blatta cinis fiet, chartam quæ deuorat, ex quâ
 Phœnici nato penna volare dabit.

Iosues Solem sistit.
Ad eundem.

LXXXVIII.

IMPIGER hostili satias dum sanguine ferrum
 Te Duce proteritur gens inimica Deo.
Ignipedes sistunt radiantia lumina solis,
 Et celer hostilem protrahit hora diem;
Imperium proh quale Duci, cui militat æther!
 Cui rutilam præfert Cinthius ipse facem!
Sol tibi præfulget roseus, contrarius hosti,
 Dat tenebras hosti, lumina clara tibi.

Ad Sospitellum.

Cuius Consilÿ statutis, Iudicis decretis, Præfectiq; Sententÿs circiter viginti quatuor oppida morigerantur.

LXXXIX.

IGnotum multis, à te licet Oppida fumant
Viuendi rectè bis duodena modum,
In lucem prodire meis digneris ab vmbris,
Queis hac vſque tibi lux mage nulla nitet.

Christophorus de Cumis ad Autorem, à quo sibi luminis vsura orbato liber de incoronatione B. V. M. inscriptus, vna cum Sospitelli descriptione lectus est.

XC.

SOSPITA quē Tellus cæcū modo cernit, vt Argū
Viderat ante Cumis Christophoruſque vocor,
Hinc Sospitelli ſim quamuis incola, cæcum
Me tamen ipſius forma ſuperba fugit,
Nec fugit illa d ù, Raymundi lumine quippe
Nunc oculis mentis pulchrior illa venit.
O ſtupor! en mel:ùs centeno lumine captus
Raymundi Solo lumine cerno lares.

Ad eundem.

XCI.


CVM ducas aliquid nihilique carmina duco,
Magnus es, in nihilo nam reperis aliquid.

Finis Libri Secundi.

VM-

VMBRARVM GENIALIVM IO. FRANCISCI RAYMVNDI CESPITELLENSIS,

Liber Tertius VARIARVM.



Illustriss. & Excellentiss. D.D.
IOANNI ANGELO AB ALTAEMPS.

I.

INGENII cineres, quos aurea vestis inumbrat,
Heroum Princeps Angele sume mei;
His esses renouare potis miracula, phœnix
Si foret ingenium, phœbus vt ipse micas.

De eodem. Ad Lectorem.

II.

ANgelus ò lector vis noſcere quis ſit ab Altæmps
Angelus eſt forma, nomine, mente, manu.

De Prudenti eiuſdem pueri decennis ſuum ad patrem reſponſo.

III.

QVot numerāt natos patres, tot Petrus ab Altæmps
Hoſtes in menſa protulit eſſe patrum.
Tales & quales reſpondit nomine gnatus
Angelus, & geſtis rebus, & ore patri;
Non poterat fari meliùs, nam gaudia patris
Filius eſt prudens, ſi ſecus, hoſtis erit.

Ad Amantem ſui amoris inopem.

IV.

QVi ſit amoris inops quòd ſis in amore? Cupido
Quem ferit, ille ſui nudus amoris erit.

Ad Paulum,
Qui ex teſtamento Aui ſui creuit hæreditatem.

V.

VIx inter dentes animam mi Paule tenebas
Aridus, ater, inops, dum ſibi vixit Auus;
Mortuus eſt tandem: felix tibi vita reſurgit;
Vixiſſes nunquam, ni perijſſet Auus.

Qui piſcis, quæue caro gratior.

VI.

QVi piſcem non piſcis olet, ſit gratior eſca,
Et caro, quæ carnem non ſapit, illa ſapit.

vel

Quæque minus carnis, plus ſapit illa caro.

Ad

Ad Lectorem.
De Virgine in maris littore, inque naui vitiata.

VII.

VIRGINITAS ponto fiat quòd naufraga, mirum?
Nil, est ex spuma nam Venus orta maris.
Littore naufragium quòd verò fecerit ipso
In naui, posthac, dic, vbi salua foret?

De Phyllide super ficum.

VIII.

VT Phyllis ficum grossis ascendit onustam,
Audijt in ficum grossus abire velis;
Phyllis ad hæc: ficus tibi si nocumenta paterent,
In ficum, ferres: grossus abire neges.

Ad Titium.

IX.

VISVS heri fueras viuo genitore colonus,
Defuncto verò nunc patre visus eques:
Veste colorata posita lætare nigranti,
Quòd tibi plus cordi, quàm pater, vna toga.

In Salarium.

X.

LItera plena salis vestri cum nominis adsit,
Cur non est toto corpore mica salis?

Ad Blancum.

XI.

VErsificabaris tanta dulcedine Blance,
Vt te traxissent nec iuga mille boum;
Quid vis? incedens dum te mox fœmina traxit,
Fœmina plus traxit, quàm iuga mille boum.

Ad Paulum de modesto filij sui, immodestoque fratris incessu.

XII.

ASpice quàm lepide componat brachia vester
Paule puer, nostræ deliciæque domus.
Inspice sed contra quàm insulse verberet auras,
Pendula dum frater brachia semper agit.
Hic ferit, ille metit, committit semina ventis
Iste, sed is nunquam deperitura metit.

Cur nullá in re splendidior homo sit puluere nasi, vulg. serm. tabaccho.

XIII.

SPlendidior nullis in rebus puluere nasi
Est homo; cur? centum fit satis asse viris.
As verò centum veluti parit vnus amicos,
Vnius quiuis assis amicus erit.

Ad Loquacem.

XIV.

ESt, paucis nescis verbis vacuare, quod intus;
Ast paucis Iudex euacuabit opes.
Dic mihi, stultitiæ signum si sermo loquacis
Est, parcus sermo num sapientis erit?

Ad Eundem.

XV.

OS vnum, fecit binas natura sed aures,
Scilicet vt capias multa, loquare parum.

Quandiù laudibus excipiendus Orator.

XVI.

SEcula vix centum valeant cùm ferre disertum,
Idem tot seclis condecorandus erit.

Vas

Vas terreum in terram solummodo decidens frangitur.

XVII.

SI cadit in flammas, vndas, vas pulueris, æthram,
Illæsum seruant ignis, & æthra, salum;
Si cadit in terram mox frangitur: ô stupor ingens!
En Aduersa fouent id, quod amica secant.

Ad Illust. D. D. Donatum Codretum.

XVIII.

QVã Donate struis foribus Domus alta superbis,
In reliquis operis nobilitate micat;
Regifico verò cum struxeris omnia luxu,
An tantam molem parua coquina decet?
Dedecet, est verum, sed & vtile dedecus istud,
Nam celsas moles magna coquina vorat.

Ad vatem quærentem: cuinam, ficui, vel vuæ danda sit palma.

XIX.

QVid quæris vates num cedat ficubus vua?
Ni spiret Bacchus carmina, musa silet.

Ex nihilo nihil fit.

XX.

DA, quid habere volens, referes nil, nulla ferẽdo;
Ergo, fer, vt referas, da, dabiturque tibi,
Sin manibus vacuis ibis, vacuisque redibis,
Nam non est gratis, qui dare grata velit.

De vario viuendi genere inter mortales.

XXI.

DEgere quisquis auet terris, sibi constet agellus
est opus, vt pellat fructibus inde famem.

Prædia plura colit diues: fœcundius aurum,
Viuere quò reliquis lautius ipse solet.
Pro fundo merces numerat mercator opimas,
Ex istis fructus haud semel ipse legit.
Militis ensis ager, sunt eius semina plumbum;
Corpora tincta virûm sanguine flaua seges.
Sunt miseri campus, neruosi terga lacerti
Subdita ponderibus, brachia fessa, ligo.
Doctoris libri pinguissima culta feruntur,
Quos dum mente legit, grana, merumque legit.
Præsbyteris ager est, breuiaria, mensaque sacra,
E quibus, vnde piè viuere possit, habet.
Ars erit artifici messis fœcunda perito,
Arte sibi victus, arte parabit opes.
Deq; viris hæc dicta satis; sed fœmina campum,
Quem colet? illa viri viuere debet ope.
Quòd si nupta viro cum sponso viuere nolit,
Eius fœcundus . . . . . agellus erit.

Ad Lucium.

XXII.

AEstus, ais, nimius cerebrum ne lædere possit,
Vmbellam tollo plus vbi phœbus agit.
Irrident multi, causas vis noscere Luci?
Quod non est, cerebrum sol vitiare nequit.

Ad Pellegrinum.

XXIII,

FErs peregrina quidem; fateor, sed gratia nulla
Est in dicendo, vox mala, pectus abest.
Es magnus casista, licet vir paruulus adsis,
Es casista bonus, buccina verò malus.

Ad Maledicum.

XXIV.

SOLE Leonino, dum fulgurat aurea messis,
Dente theonino quis mea rodit atrox?
Illum regnantem patior de more libenter,
Latrantem lunæ te fore duco canem.

Hinc

Hinc irascendum non est, ratione carentes
Vos ambos solâ vir ratione domet.

Ad Eundem.

XXV.

SIS animo turgens maior Timone tametsi,
Fis nihili, cum sis dente Theone minor.

Ad Ill. D. D. Petrum Ludouicum Riccium Sole in Leone, vt sponsam ducat iter facturum.

XXVI.

NE tibi feruentes noceant plerique calores,
Cum timeant, nollent arriperetur iter.
Nunc agitur sponsis de summâ quæstio rerum,
Isto quot sponsi sidere morte cadunt!
Sidere quo sponsis plus solibus officit vmbra,
His vmbræ peior nam calor esse solet.

Ad N.

XXVII.

QVem mihi misisti crassum pede, cortice duru m
Atq; grauem, insipidus quàm fuit ille pepo!
Conqueror insipidum nec tecum.... peponem,
Nam tantùm quod habes participare potes.

De pudore in meretricis vultu.

XXVIII.

DVM premit ore dapes certo mercabilis ære
Ex oculis mulier visa recedit, abit;
Inde pudore genis grauidis mea lumina fugit.
Ingens miraclum! stat sine fronte pudor.
Quàm pudor ingenuus, longè cui purpura cedit,
Qui de non castis membra pudica facit!

Ad Minutorem coquum.

XXIX.

VT lubet assistas à Summo mane coquinæ,
Non facies, quin pars sit minuenda coqui.

Ergo cùm minuant omnes, nosterque Minutor
Nil minuas, & eris, nonque Minutor eris.
Quid Natura sagax? cunctis ne solus obesses,
Nomine vult saltem, non quod es, ipse fores.

De Pyllide, dubius, proferenti.
XXX.

DEBEAT andici, dubium, dubitabile non est;
Phyllis ait, dubius, masculus esse cupit.

De Eodem. Ad Milum.
XXXI.

IN medium, dubius, constanter Mile tulisti;
Mille modis nomen tu variare potes.

De Phyllide. Ad Truchum.
XXXII.

FASCICVLO Phyllis nequiens submittère ligni
Lactea membra, tua postea misit ope.
In facie Venus errabat, plus gratia labris,
Nam pro collato pondere grata dedit.

Ad Romanum.
XXXIII.

LILIA mista rosis niteant si quaeris in ore,
Cur potius vestis non erit alba nigra?
Quid iuuat in collo, manicae tum syrmate lina
Ferre pruinosa candidiora niue?
Corporis en reliquum nigricat? Romanus ad ista;
Quàm bene cũ violis alba ligustra micant.

Cur pauci lubenter obeant.
XXXIV.

PARVA virum terris excedit turba libenter,
At contra terras maxima sponte colit,
Cur haec? an sit homo mortalis morte perennis?
Fit, praesens ast hoc, illa futura videt.

De Equite.

XXXV.

SVlcat humum, nō tractat equū, qui noster agaso
Dicitur & tantum nomine Paulus eques;
Vt sibi literulis radiantia carmina pulchris
Sunt data, nec legit, gratia nulla fuit.
Quàm bene! quàm merito! tractent fabrilia fabri;
Illi non carmen, sed ligo dandus erat.

Plus olei quàm vini consumendum est virtutis alumno.

XXXVI.

AD Veneres, ludos, fandi cupis esse peritus,
Adque coronatos rore madente scyphos,
Falleris, & Veneris, ludi consumit & osor
Plus olei vino, qui sophos esse cupit.

De malis ex auro.

XXXVII.

HAEC bona nō esu sunt mala, sed optima visu;
Hinc bona quæ non sunt, optima sēper erunt.

De eorundem odore nulli secundo.

XXXVIII.

NIL olet, & redolet malum redolentibus aurī
Plus, trahit è terræ finibus eius odor;
Insuper instanti redolentia mala putrescunt,
Aurea sed nunquam, tam bene semper olent.

In eum qui templi incendio æternum suo nomini lumen perperam emendicauit.

XXXIX.

QVO tibi iuge pares monumentū perditus, atris
Cuncta voraturis das sacra templa focis?
Fallere, delendum nomen de mente suadent,
Et dandum tenebris flammea templa tuum.

Iam ſua Salmandræ ſileant miracula, probra
 Nam diuturna tibi procreat ignis edax.

Ex N. graſſatoris vinculis orta libertas.
XL.

DVM fuit hic liber, poteram non liber abire,
 Vix fuit in vinclis, liber & omnis abit.
Libera vincla ſalus hominum ſaluete, virorum
 Et libertatis cauſa remota meæ.

Ad N.
XLI.

PErcutis erratis cerebrì ter pectora palmis,
 Frons tua ſons gaudet, pectora verò dolent.
Es pietate magis, venia quam dignus habendus,
 Nam frons, non pectus, percutienda foret.

Ad Apicium.
XLII.

CIrcumfers triſtes mœſto ſub pectore vultus,
 Quòd Deus ad glebas forte Priapus eat.
Triſtior infelix coniunx tua iure, marito
 Te viuente ſuo quòd viduata, gemit.

Ad N.
XLIII.

VT quod das prælo videatur grande volumen;
 Das chartis magnis carmina ſcripta notis;
Cuiuſuis chartæ flores in calceque rident,
 Quòd floris forſan corpore nec ſit odor.
Maiores vmbras breuiores eſſe memento,
 Nam tunc nox propior cuncta tegendo ruit.

Ad N.
XLIV.

HAud aliquem ſentit ſecum alta voce loquentẽ,
 Omnia ſubmiſſa voce ſed ipſe capit.

Sulphureis non acta focis glans ferrea, surdas
  Non aures feriunt classica Martis Atys.
Vngentem pungit, pungentem perfidus vngit,
  Hinc malus ansa boni, sed bonus ansa mali
Cælestes odit, genuino denteque rodit,
  Sit, quid ad hæc? panis fustis & herba canis.

Ad Hippolytum.

XLV.

O Simples bene, ne referat quæ fœmina vidit,
  Os etenim plenum nulla referre potest.
Hæc prudenter agis, sed ages prudentius, illa
  Si, qua facis, poterit sponte referre sua.

De graui mulierum incessu.

XLVI.

FOEmineo sexu leuius nil esse videtur,
  Incessus vincit sed grauitate viros.

Cur ex costa mulier?

XLVII.

EFformata sui medio cur osse mariti
  Non potius capitis, vel pedis Eua fuit?
In medio virtus consistit, fęmina debet
  Coniuge nec maior, nec minor esse suo.

De Eadem.

XLVIII.

DVm non Eua fuit costam persoluit Adamus;
  Vix fuit, ipsius moxque ruina fuit.
Ditis aperta, fuit paradisi ianua clausa,
  Proh dolor! hanc pandit, clausit & vna dies.

De mulierum soccis.

XLIX.

CVr altos cubito soccos fert nupta per vrbem
  Fœmina? cum cubito sit minor illa viro.

Iure que vult vxor non dispar esse marito,
AEquales tantum nam bene iungit amor.

Cur minor corpore sit mulier; quàm homo.

L.

CVm sit in auxilium mulier formata virorum,
Cur minor, atque timens? ne foret illa tumēs.

De N. Lillæ tutelam sibi tradendam curante.

LI.

VEllet ouis, cæsis canibus, sibi cura daretur?
Præclarus custos quàm lupus esset ouis!

Ad Cotilum. An sit senectus iuuentute felicior.

LII.

OSor es annorum, cum non sis osor amorum,
Faustior ex istis quis mage fare tamen?
Illene, qui teneat, quod homo cupit alter habere,
Qui vel habere cupit, quod tenet alter homo?
Qui tenet ille mihi felicior esse videtur,
Nam quæ differtur spes macerare solet.
Ergo senum iuuenes cum annos cōplere peroptēt
His mage felices quis neget esse senes?

De flexaminis aulæ potentia.

LIII.

CAntat, edit dormit cum Gallo tutus Iberus
Nomine Bertranus, gallicus ore tenus;
Hinc est nonnullis concordia tanta stupori,
Quos eius forsan gallica gemma latet.
Quos latet, vt valeant in sola iungier aula
Absque cruore lupis agna, leæna lupis.

Ad N.

Rudere esse genus impropriè pertinaciter inficiantem.

LIV.

RVdere, plus asino ipse rudis genus esse negãdo.
Rudere sic asino conuenit atque viro.
Conuenit en binis speciebus rudere; fare,
Quod sub se species continet, estne genus?

Ad N. æstiuo tempore onerosum pallium iactantem.

LV.

RVS cum palliolis æstu procedimus omnes,
Ex humeris pendent pallia longa tuis.
Nos leuis aura beat, quæ serica ventilat agris,
Fit tua frons semper vena fluentis aquæ.
Non dominus vesti, domino fit vestis, honori
Non ea, quæ semper sunt onerosa suis.

Ad N.

LVI.

EST tibi præ digitis æstiuo tempore fustis
In villis, nobis extat arundo leuis,
Inde leues ferimur, leuitas hoc tempore prodest,
Quippe graues isto tempore morte cadunt.
Fuste grauis ferris, grauitas hoc officit æuo,
Si non officiet, vir mihi fustis eris.

Ad Eundem.

LVII.

DIc mihi num melius, vacua vel arundine peius
Est cerebro vacuum, vel sine mente caput.

Ad eundem.

LVIII.

CVm sit arundo leuis nobis das ore cachinnos,
At tibi cum cerebrum sit leue flere potes.

Ad

Ad Blancum.
De quibuſdam iuuenibus vino ſupramodum deditis.
LIX.

NOS noſtro ſermone ſtudet captare iuuentus,
Blance, procax & amans feruida vina nimis.
Efferrem vini laudes vinoſa peroptat,
Quod parcè ſumptum membra fouendo iuuat;
Aſt quid ego? vinum iuuenes ſi ferre nequitis,
Confecti ſenio forte feretis aquam.

Ad Hippodamum Agaſonem.
LX.

ISque rediſque tuo ſemper comitatus aſello,
Quis veſtrum maior, tu, vel aſellus erit?
Maior aſellus erit, fallor, nam corpore præſtas;
Cum fiat pluris, maior es, atque minor.

Perilluſt. & Adm. R. D. D. *Octauio Bouarello.*
ODE.
Cur omnium in votis inſit auri cupiditas.
LXI.

QVISQVE Naturæ genio ſagacis
In ſinu ſemper noua molientis
Eſt ſibi ſi quid vetitum, aut negatum,
Semper id ambit;
Hinc ſua nemo Bouarelle terris
Sorte contentus ſpatium fugacis
Tranſigit vitæ, quis enim virorum
Poſsidet omne?
Omnibus ſolum viduus vir armis
Naſcitur mundo innumeris referto
Fraudibus, curis, vitijs, periclis.
Cædibus, vmbris;

Vnde

Vnde vix lucet rationis vsus,
Arma dum quærit, quibus in tot hostes
Semper infestos valeat iuuari
Tempus in omne;
Cum sit & nummus violentus ensis,
Quo ferè totus superatur orbis,
Hinc fit, vt quiuis studio perenni
Quæritet aurum.
Aureis vinctus laqueis auarus,
Aurea viuens sepelit cor arca,
Iugibus curis emit & metalli
Quambreue fulgur,
Nauta committit pelago carinam
Sæpe iactari solitam marinis
Fluctibus, sperans fluidas in aurum
Vertier vndas.
Mille mercator positus periclis,
Quæ mari passim, fruticantque terris,
Vt suas merces duplicet, patratur
Fasque nefasque:
Sanguinem miles proprium libenter
Fundit, vt pugna rapiat secundum
Hostis, & par sit iaculi grauedo,
Ac loculorum,
Iura defendens aliena Doctor,
Dum nimis mentem studijs fatigat,
Sed foro corpus mage, cum metallo
Ambit honores.
Corpus infectum Physicus medendo
Curat ægroti vacuare corpus,
Sed magis thecam vacuare curans,
Fit grauis auro.
Aulicus cursum peragens dierum
Sumptibus magnis nitidis in aulis
Infulas auro grauidas, & ostro,
Mente reuoluit.
Tentat Orator rosea loquela,
Melle quæ rorat mage dulcis hyblæ,
Audientum conciliare mentes,
Sed mage nummos.

Sic Eques, Sculptor, Coquus, Aduocatus,
Rusticus, Testor, Chymicus, Sophista,
Musicus, Sutor, Iaculator arcus,
Innumerique:
Iure quem claudit numerum Poeta,
Qui Ioui sacro vigor insit auro
Quòd Iouis solis, nimis eius ardens
Pallet amore,
Pallet at frustra siquidem scelestus,
Aut adulator dominatur aulæ,
His, sophis clausæ referantur aures
Sæpè Midarum;
Hisque lanarum pecus aurearum
Præbet ignauum latices suaues
Lacteroris sine fine scurris
Vbere pleno:

De columnis marmoreis Romæ Gothorum inuasione compluribus foraminibus deformatis, quòd idem accidit alijs præclarissimis monumentis.

LXII.

DEXTERA, Romulidum vastatis mœnibus Vrbis,
Humano rubuit sanguine tincta Gothi,
Nec satis est, Vrbis gemmis, auroque potitus
Sæuit in humanum quod libet ille genus,
Nec satis, æternis monumentis inuidus Vrbis
Quæ demoliri non valet, illa forat;
Scilicet æternè confidit viuere saxis,!
Quæ ferus æquasset, si valuisset, humo,
Inter quæ vario ductas è marmore moles
Centenas magni Roma valoris habet.
Ast quid Roma sagax? paribus deforme foramen
Sedula marmoribus condecorare studet.
Nata putas, quæ iuncta vides in marmore, saxa,
Artificum studio sic benè iuncta vides.

Et

Et modo quæ primum fuerant deformia visu,
Romana gemmant saxa polita manu.
Quantò Roma magis tenerum cor excolet arte,
Duritiem saxi dum polit arte rudis?

Ad Charidemum eiusque coniugem.
LXIII.

CVR requies vobis nullo conceditur æuo?
Quòd nobis vnquam nulla propago fuit.
Hoc vestra venia sit dictum: mente caretis,
Nam sapiens coniunx non sine prole perit.

Ad eosdem.
LXIV.

CVm datus ad requiem lectus sit causa querelæ,
A requie vobis est fuga vera quies.

Ad hebræum, cui nomen Salomon.
LXV.

SEDVCAS mortale genus quò tutius, ornas
Fercula verborum dulcia melle magis.
Non equidem mellis sunt hæc, sed fercula fellis
Re lupus existens, ore videris ouis.
Si quod agis, ferres, pugnares quam tibi! namque
Qui facit, & dicit plus Salomone sapit.

Ad N.
LXVI.

ERigitur per inane domus per inaniter aucta
Per te, regnantis quæ foret aula capax.
Altera sed maior surgit, constructaque fumo
A te, quæ tecto sidera summa petit.
Cum tua prima domus radix vtriusque voluntas
Sit, fluit ex vno fonte chimæra duplex:
Illa tuum loculis de fuluis hauriet aurum,
Absumet cerebrum peior at ista tuum,
Nescio quis subdit: non est cur horreat vltra
Præmissis duplex namque chimæra stetit.

Il-

Illustriss. & Excellentiss. D.D. Hyppolito Lantes Polymartij Duci, &c.

LXVII.

SEx me lustra vident, cum des tantũmodo quina,
Frons mea, quòd mendax sit tibi, gestit, ouat.

Ad perill. D.D. Io. Baptist. Criuellatum, à quo Viterbij vna cum olim Abbate nunc Cardinali Maidalchino lautissimo conuiuio fuit exceptus.

LXVIII.

CVM tibi det cribrum, rerum dulcissime nomen;
Hinc tua displicuit cœna futura mihi.
Conuenient, mecum dixi, si nomina rebus,
Bacchus erit longè, non procul alma Ceres.
Bacchus erit longè, recreat qui corda virorum;
Quo sine regalis nec placet esca mihi.
Non procul alma Ceres turba comitata volantũ
Nec non quadrupedum; mensa secunda feras.
His nihil adduci poteram; suffusus amore
Sed Maidalchini, motus amore tuo,
Ad tua prompta feror conuiuia lætus in aruis
Nostra quibus quantum mens stupefacta fuit!
Quippe quot in raro numerare foramina cribro
Est, tot in his fontes suauia vina dabant.
Gemma liquescebat Suriani feruida græci,
Quod mihi cælestis nectaris instar erat,
Cæcuba non deerant, stillabant vina falerni;
Cætera si ferrem pagina parua foret.
Ter felix cribrum, cuius de fontibus hausit
Os adeò nostrum, dulce, suaue merum.

Ad Iulianum.

LXIX.

LIquida non frangunt, dixi, tu frangere faris,
Insuper hic inquis hæresis esto sonus.
Fare, quid hæresis est? sacris sententia Patrum
Aduersans dictis, vt tua, sicque tenax.
Liquida non frangunt, cum sit sententia Patrum,
Hæresis hinc sermo, non meus, esto tuus.

Ad N.

LXX.

FAEX hominum cuius genitoris debita templi
Vestibulo foedas exeruere nates,
Carnificique soror suspenso postea, nupsit,
Occisum fleuit neptis adulta virum,
Exque sorore tua satur ipse cruore nepotis
Et neptis peior quolibet angue tumes;
Os tibi perpetuò fœtet, neptisue sub ore
Sus latet, infernus stat duplus vna domus.

Ad N.

LXXI.

HAEreticos multos dicis, quos constat adesse
Veros Christicolas, vt videare bonus,
Erras, detractor prauus de more putatur,
Nec scio te Christi dogmata sancta sequi,
Caluus es infelix, operum sine crine bonorum,
Vertice cor caluum nec minus ipse tenes.

Et malum & bonum ex terrestris paradisi malo.

LXXII.

EX malo quodcumque malum mortalibus ortum
Est, eius fructus pœna perennis erit.
Ex malo quodcumque bonum mortalibus ortum,
Est, eius fructus vita perennis erit;

Vita perennis erit iustis mortalibus astris,
Mors orco prauis pœna perennis erit.
Errasti dices, nunquam peccator abibit.
Ah depascet eos mors, sacra musa canit.
Quàm malum infelix, à quo mala cuncta feruntur:
Quàm felix malum, quod bona cuncta gerit.
En plantæ eiusdem fructus mors, vitaque fertur,
Quæ parit omne malum, quæ parit omne bonum.

De Coralio.

LXXIII.

CORALIVM nereo viridis quæ fluctuat herba
Aere vix tacto flammea gemma rubet.

Ad N.

Qui alterius panegyrim ad vnguem recitauit.

LXXIV.

IAM nobis fuerat prius hæc oratio dicta,
A te quæ nobis nunc recitata fuit?
Bis sic est vno redimitus tempora serto
Dux Carolus: quare multiplicatur idem?
Et leuis, & iuuenis primum qui Doctor habendus,
Cœpisti leuior Simius esse modo.

Ad Eundem.

LXXV.

PRO meritis dignas posset quis soluere laudes,
Quas Triadis Peperitconcio docta tibi?
Hac etenim terræ pandisti cælica cultor,
Nec dum discipulus visus es ipse docens;
Quis non miretur, nimium mirantur at omnes,
Nam te callidior quisquis asellus adest,
Dum bibit os solum lambendo proluit ille,
Syncipus ipse lauas, occiput ipse lauas.

Ad Eundem.

LXXVI.

QVAM bene cantasti! pectus si forte parabis;
Te melior nullus psittacus esse potest.

Ad circumforaneum.

LXXVII.

VOCIFERARE diù, ni ficta magnus energia;
Te plebei s, eques sentit, at iste minus.
Obseruo tempus, fieri post prandia cerno
Hæc: Bacchi constat quàm potis esse liquor!

In Eundem.

LXXVIII.

ALTIVOLIS crebrò clamoribus aëra reples,
Astacus & coctus non secus atque rubes.
Extra te raperis, rapiat te spiritus anceps
An vinum; raptus gloria cuius erit?

De Cloride.

LXXIX.

MIratur meretrix, nomen cui Cloris in vrbe
Et vendi soles, aera, marmor, aquam;
Ac si non auri vænirec pondere cornu,
E Veneris tanti sit quod amore venit.

Ad Lepidam interrogationẽ Ducis Lantes insignibus alludentem ab Imperatore factã argutissima eiusdem Ducis eodem in genere responsio.

LXXX.

DIxerat, ò Lantes, summus moderator in orbe
Dic, vbi quæso Iouis candida regnat auis?
Cum lepide verbis comitatus verba loquentis
Dux, ibi regnat, ait, fert vbi colla duo.

Ad

Ad Regulum.
LXXXI.

SVNT tenues epulæ, ditissima cœna paratur,
Quis tot diuitias enumerare potest?
Argenti pondus, pretiosi pondus & auri
Efficit vt nimium mensa grauata gemat.
Si tibi magna fames præcordia rodit habendi,
Escarum in mensis est mihi sola fames.
Grandeque si speras ex istis Regule nomen
Sint plures escæ, gloria maior erit.
Sique famem cupies amborum pellere, fulua
Incedant passu fercula, vasa, pari,
Cum gabatis pascant non tantùm lumina lances,
Costaque Posticis ne volet esca vijs.

De Puero septemni Romæ theses philosophiæ, medicinæ, legum, necnon theologiæ publicè defendente.
LXXXII.

CVM sexagenis certat septemnis in vrbe
Irrationalis de ratione puer:
O stupor! haud aptus sophiæ documenta doceri
Alta puer sophiæ dat documenta viris.
Hinc Antichristum fassi plerique fuere,
Dicere sed Christum plenius ore nequit.
Nonnulli dixere virum, iudaica secta
Quem manet, at Christo non daret ille manus;
Cum nequeant alij causas deducere, fantur
Spiritus angelicus, seu cacodæmon erit.
Spiritus alter ait, pueri sub corpore prauus
Esse potest, quales Rhenus habere solet.
Est & qui multum dubitet de Fratre, perennè,
Præceptorque velit cum superesse thesi,
Psittacus esse potest, sunt qui dixere, sed ille
Ignotis nescit reddere verba notis,
Vltimus in medium referens exempla ducenta
Iure timet, quare? . . . . . . alumnus adest.

Hc-

Homo natus ad imperium.
LXXXIII.

IVSSA ferunt omnes, nullus sed sponte capessit;
Cur? est omnis homo natus ad imperium.

Ad Sextum Agasonem.
LXXXIV.

NE nimij cerebrum vitient vmbracula soles
Portantur quorum protegat vmbra caput;
Ne poscas istud metuens vmbracula Sexte:
Quod non existit nil vitiare potest.

De eodem.
LXXXV.

NE fiant nigri nonnulli vmbracula gestant;
Neue liquescat adeps Sextus agaso petit;
Hac solâ ratione potest ea poscere, namque,
Nil æstus secum solstitialis habet.

De eodem.
LXXXVI.

QVid facient equites? vmbracula poscit agaso?
Vt famulo superest morigeretur eques.

Loquitur Hecate.
LXXXVII.

LVNA, triceps habeor; cælo. Proserpina stagnô
Cocyti, terris esse Diana placet.
Quæ Deitas stygi, quæ terris, quæ sidere maior,
Cuius opem tellus, orcus, & astra petunt?

Ad Militem.
LXXXVIII.

NON rigidus Mauors intentus cædibus atris,
Vt facis iratus solus in Vrbe furit;
Ardescunt oculi, crines crispantur in altum,
Nil nisi sæuities spirat ab ore tuo.

Vest-

Veste sacra posita stringis temulentius ensem,
Et vice flammarum fundis ab ore merum.
Missus in ingenti vis hostem perdere turba,
Non tibi turba fauet, sed magis illa nocet.
Detinearis aues, incautum detinet illa,
Sed non incautè turba ministra fori,
A turba turbam nescit distinguere Bacchus;
Quem ciuem censes esse satelles adest.
Te capit & stringit dexstram læuamque catenis,
Incipis impatiens soluere vincla manus,
Sed frustra: tecum pugnis certatur, & ictu
Sclopporum, pars fit saucia quæque tui;
Fit merito laniena tuis dignissima gestis,
It per membra cruor more fluentis aquæ.
Altè conquereris stridens sum seruus . . . .
Et . . . . . proficis inde nihil,
Altius exclamas sum præsbyter, haud licet istud,
Audis: absque toga num licet ire tibi?

Ad Nouaculam.

LXXXIX.

QVæ faciem radis perstricta nouacula nostram,
Est læuare tuum, non lacerare genas.

Ad Fuccium.

XC.

TIbure cessisti lætus, tristisque redisti
Roma, tristitiæ quid tibi causa fuit?
Tibure iam verbis aderat mea parua supellex
Egressu, reditu mentio nulla fuit.
Polliciti posthac ni reddes pignora, cernam
Non semel in vultu tristia signa tuo.

Ad Vrbem vehi quicquid pulchri Tibure inuenitur.

XCI.

AMplæ Nauonæ viridaria læta reuisens,
Queis haud terrarum pulchrius orbis habet,

Expetij fructus meliores vnde venirent,
 Responsum, veniunt Tibure, sæpe fuit;
Martia deserui quapropter mœnia, ducens
 Mensibus æstiuis Tibure posse frui.
Tibur vt appetij vendentem lumine lustrans
 Inspexi fructus vendere sæpe rudes;
Pulchrior & melior petij sibi fructus an esset;
 Sepositos quosdam dixit habere domi.
Quos vbi transuexit, quanti faceretque petitus,
 Plus duplò Romæ subdidit ille mihi;
Mirabar valdè fructus, qui Tibure Romam
 Mittuntur, duplo Tibure posse dari.
Nescio quis tacitè nostras sufflauit in aures:
 Quicquid adest pulchri Tibure Roma vorat;
Tiburis ergo frui raris si fructibus optas,
 Tibure discedens Martis ad arua redi.

Ad Dindymum.

XCV.

BIS fueras coruus, ter postea fune ligatus,
 Neutrius generis nunc placet esse tibi.

Ad N.

XCVI.

SAEPIVS ipse petis nobis cœnantibus ædes,
 Dum tibi fit presto lignea porta diù.
Ad pomum spectas, animum nec ponis, ab ouo
 Ianua quo paucis tempore surda manet.
Ingrediens blando conuiuas ore salutas,
 Redditur vrbane mox tibi dicta salus;
Osque sedens soluis, meministi claudere nunquã,
 Ieiunus, mirum! plus epulone vomis.
Pluribus ingluuiem verbis ostendere tentas,
 Aures sed patulæ nil retinere valent.
Conquereris; subeas nunquam cum tecta vocatus,
 Cur tibi quòd non fit mensa parata doles?
Te decet haud aliud quàm scurræ munus obire,
 Dotibus atque tuis hoc satis esse puta.
Si nimis est nobis tecum ciuiliter actum,

Hic error nimiæ nobilitatis erit.
Subiungis lep.dè: dulci vos nectare paui
Eloquij toties, ambrosiamque dedi,
Nec semel optatis dabitur discumbere mensis!
Cedo tibi, nimis est ingeniosa gula.

Ad Lymphas.

XCVII.

CVr hæc? quid gelido petitis me murmure lymphæ
An me fortaßis nunc plaga vestra capit?
Aut mihi pacatum vestrum concedite regnum,
Aut mihi sit vestra grandine tuta domus.

De N....

XCVIII.

LECTICA vectus, surgunt cui cornua bina
Fronte, salutatus nec mouet ille caput.
Mens erat, vt saltem submissa voce salutem
Redderet, vrbanè, detegeretque caput,
Quàm sum deceptus! verbum nec protulit vnum;
Posterius munus cornua bina negant.
Insuper erubuit nunquam vir pessimus; ast vt
Cornuti facies erubuisse potest?

Ad Milum.

XCIX.

SI loqueris cum mille viris, en iurgia mille;
Si faceres aliter non tibi Mile fores.

De *Cloride meretrice.*

C.

MEIERE, Cloris ait, res est turpissima visu,
Sed clam non ducit turpe quod ipsa facit,

In medicum se ad mollitiei peccatum sanitatis causa patrandum turpiter adhortantem.

CI.

PROH dolor! edicis fundam mea semina terris,
Dic, sic immunis vulnere mortis ero?
Non poteris, subdis, mortis vitare sagittas,
Nam semel est cunctis mors obeunda viris,
Complures sed ages annos: quot? ponito centum:
Appage, non vni secula mille feram.
Quàm sic obscenè viuere, malo mori.
Non mihi tam parui vita perennis erit.
Is nunquam viuit, qui mala semper agit.
Pluris mille malis fit bene ducta dies.
Heù indigna viris pharmaca, digna stygis!
Irrationalis quod fera vitat, agam?
AEternas cædes hæc medicina parat.
Viuere perpetuum dat bene sumpta dies.
AEternam noctem lux male sumpta parit.
Corpore non curo, mente valere placet.
Non terris, astris viuere debet homo.
Ipse polo viuam dummodo, cedo solo.
Nox citius fertur turpiter acta dies.
Cur animi pluris non facienda salus?
Est hæc non vitæ, sed medicina necis:
In cælis regnem dummodo, terra vale.
Quid simili vita fœdius esse potest?
Est mage nulla viris hac medicina nocens.
Dic mihi inhumanum quid valet esse magis?
Non homo vixit heri, qui male vixit heri.
Non vomit infernus sæua venena magis.
Nulla lues animæ sæuior esse potest.
Turpiter in mollem sic homo fortis abit.
In promptu semper quàm nocet ista lues!
Sic fiam, quoties hæc, homicida, geram.
Sic mortem & vitam sola medella dabit.
Sic infirmantur dæmonis arte viri.
Sic magis æterna fit nece vita breuis.

Sic ingens hominum turba perire solet.
Sic proprijs manibus concidit ictus homo.
Sic sacer ex hominum pectore cedit amor.
Sic homo dum prauus fit, finit esse bonus.
Sic dat criminibus gratia dia locum.
Sic homo, dum dæmon fit, finit esse suus.
Sic reliquis ista plus agit arte satan,
Sic solet in barathrum corpus abire virûm.
Sic perit angelicis mens generata choris.
Sic, si membra valent, mens nihil ipsa valet.
Sic & idem vitam conferet atque n.cem.
Sic scelerum seruus fit cacodæmon homo.
Sic proprijs telis occidit ictus homo.
Sic hominum species tota perire valet.

Ad Eundem.

IMprobus ò atrox hominis sub imagine dæmon
I, pete tartareum, ne medeare, lacum.

Quæ fides suis de reditibus magnificæ loquentibus sit habenda.

CII.

QVot sibi sint nummi, sint prædia, tectaq; census,
Si quis ait, medium sit minuisse parum.

Ad Diadumenum turcam.

CIII.

HIS semper grauidis ò Diadûmene
Verbis luxurie tempora transigis
Oris in patrijs vt calidissimis
Regnat crescite, tum multiplicamini,
Nam cum fratre soror, cum patre liberi,
Vt faris, coeunt, quid facient canes?
Hic vnum fieri non ais, at facis:
Quid tecum Ganymedum ista cohors facit?
Infandum scelus! ò grande homicidium!
Quod nunquam faceret bellua vir facit.

An

An melius sit nubere egeno, at sapienti; quàm imprudenti, licet diuiti.

CIV.

PAuper an est melior sponsus virtute decorus
Stulto, diuitijs affluat ipse licet?
Est melior: virtus nonnunquam ditat alumnos,
Diuitijs stultus sed sophos esse nequit.
Sunt fructus virtutis opes, est dicere sæpe,
Sed nunquam virtus dicere fructus opum est.

Inuidere malum, inuideri bonum.

CV.

INuideo Caio non, nobis inuidet ipse,
Actor in hoc semper fit patiente minor.

Omnia cum tempore.

CVI.

VNica dum viguit Pallas sapientia, quiuis
Dicere tunc poterant aurea secla vigent.
Postea quando Deæ Pallas concessit amoris,
Dicere tunc poterant Troia sub igne cadet,
Imperat ecquid erit cunctis dum Iuno moneta?
Dicere quisque potest: obruet vnda solum;
Arguor, & recte, mundus periturus an igne?
Fiet nilque potens aureus igne liquor?
Obruet vnda solum prius aurea, quàm cadat orbis,
Auro nil facto, terra sub igne cadet.

De Eodem.

CVII.

OMnia tempus habent, viguit sapientia quōdā
Post amor inualuit, nuncque Moneta præest.
Hinc tibi lis primo Pallas cessisset in æuo,
Post Veneri, victrix at modo Iuno fores.

Eiusdem epilogus.
CVIII.

OMnia tempus habent, quondã sapientia Pallas
Post furtiua Venus, Iuno moneta modò.

In N. praeceptorem alterius scripta; vt sua, dictantem.
CIX.

SCire tuum nihil est, irascere, dicito quæso
Sunt tua quæ dictas scripta vel alterius?
Non tua discipulis quæ dictas scripta videntur,
Cum sint alterius scire tuum nihil est.

In Eundem.
CX.

VT Venusinus ait volucrum cornicula risus
Furtiuo quondam nuda colore fuit.
O tibi quot paries factus cornicula risus,
A te si vatum carmina turba petet!

Ad Turgidum.
CXI.

MEns tibi quàm felix, firmâ quæ lumine lustras,
Mente tenes, cunctis scisque referre diu.
Os tibi quàm infelix semper mendacia fundens,
Dum facit, vt quæuis edita scripta canant.
Pauca legens vis multa viris legisse videri,
Ignauus fucus quò videare sophos.
Hinc semel à nobis mendax, asinusque vocatus
Id perferre nequis; vera silenda forent.
Es tibi qui passim mendax, qui semper asellus,
Cur idem nobis non semel esse potes?

Ad Priorem, virum quidem facetum.
CXII.

DIceris à multis lasciuus, callidus, excors,
Fur, lusor, latro, turpis, auarus, iners:
Omnibus his dictis extollis ad aera risus;
Cur? hæc sunt factis inferiora meis.

Ad N.
CXIII.

INgenuus, iustusque viris cupis omnibus esse,
Ast vnum profers & duo mente tenes.
Ignorans, animo vir duplex iugiter extat,
Non sibi, non alijs constat, vbique malus.
Ponere quinque soles, sex vero referre suescis,
Hinc tibi non pes, est inspicienda manus.

Ad Amicum.
De Andrea Doctoratus laurea donato.
CXIV.

IMposuit denas formas ignarus asello
Quas vbi distribuit doctor, Amice, fuit
Si denas iterum format imponet asello
Andreas, pariter doctor asellus erit.

De milite Martis, & Cupidinis.
CXV.

FIt diro martis victor certamine miles,
Victor verò fugâ miles amoris adest.

Ad Sicardum.
CXVI.

QVæ tibi virgo senivult nubere flore iuuentæ,
Ni sapies, mulier nubet & illa pari.

De animo humano.

CXVII.

NIl vnquam voluit frustra natura, volutat
Nec modo quid frustra, voluet & inde nihil,
Hinc quidam dixere virum; vir mente volutans
Aeternos annos anne perennis erit?

Ad Auarum.

CXVIII.

CVm numeres reditus sestertia mille per annos;
Te pudet haud cunctis dicere, da, fer opes.
Non es dissimilis meretrici, cuius ab ore
Est audire diu: da mihi, vel fer opes.
Hæc me dicenti multas dabis ore querelas,
Fronte cares, ergo quis pudor esse potest?
Vis obseruantis tua crimina claudere labrum,
Indue iam frontem, sitque crumena patens.

Ad eundem.

CXIX.

INuisus, dicis, tibi sum dum talia pandis;
Inuisi mores sunt, mihi crede, tui.

Ad Lectorem.

De quibusdam Auctoribus suis operibus volumina in laudem suimet composita inserentibus.

CXX.

RIdiculum planè! scriptorum turba recentum
Ante suum mittit grande volumen opus;
Cæsareus Legatus vti, Regumque, Ducumque
Præmittunt rhedis agmina densa virum.
Hoc tamen inter eos surgit discrimen & istam,
Vt facit hæc, illi non aliena ferunt.
Cernere si fuerit claudant quæ gesta volumen,
Quàm fuerit, Lector, cernere pulchra nimis!

Autor si vates, illius Apollo scabellum
Fit subito, musæ mox famulantur ei.
Si secus Orator, mox aurea flumina mittit,
Illi pro nihilo Quintilianus erit.
Inuenies & idem, fuerint seu scripta medendi;
Seu legum, ruris, militiæue, domus.
Quando figurato variam spectabo figuram,
Quid tunc? cum vino quod solet esse, geram;
Inferiora suis exemplis vina ferenti
Dico: refer nummos, ni meliora feras.
Auribus excipiet sic tristis ganeo laudum:
Redde datas laudes, ni meliora feras.
Vel, quod erit peius, fuscæ cornicis ad instar
Exuto plumis corpore nudus erit.

Ad N. De *Eadem materia.*

CXXI.

QVid facis infelix! ferrum suspendis acutum
Diuidet è collo quod tibi busta modo,
Annæ vides, queis acta putas reuirescere vitam;
Iudice te, turpes accelerare neces?
Si tua scripta putas alienis viuere chartis
Falleris, in cunis iam tumulata iacent.

Ad Eundem.

CXXII.

FErt heracleum lapidem tua dextera secum;
Et referant aurum vis oricalca tua?

Ad Eundem.

CXXIII.

QVO tibi credatur si testibus vtere centum;
Fidus dum tot eges testibus esse nequis.

Ad Eundem de Rho.

CXXIV.

RHò sine teste putas reprobanda volumina sidi;
Fallere, tite probat qui sine teste probat.

Ad Sabidium.

CXXV.

PRæmittam noſtris oras tua carmina libris,
Empta laudari non ego merce volo.

Ad Eundem.

CXXVI.

NVM placeat nobis laudum ſi gloria quæris?
Noſtra quidem nobis; non aliena placet.

Ad Codrum.

CXXVII.

A Nobis aliquid diù petentem
O Codrus nihil extrahique poſſit
Largis de manicis tuis & arctis,
Largis vt capias, feras vt arctis,
Dicebam prius eſſe te petacem,
In maius tuus ardor iſte creſcat
Cum verò, magis impudens magiſque
Pias quotidie phraſi altiore
Cum magno referam tui rubore:
(Si non eſt vbi frons, rubor quit eſſe)
Non Codro petulantior vir extat.

De *Auri potentia.*

CXXVIII.

NIL magis humanum fuluo cor faſcinat auro
Hic ars, hic robur, conſiliumque perit.
Hinc argumentis ſexcentis arte relictis,
An fatear verùm dicere Flora poteſt.
Hæc vbi romanos dominos ex aſſe reliquit
Diues opum, ſcortum nomine Cloris erat,
Mox redimita ſuis ſimulachris tempora vidit,
Strata genu flexo quæ ſibi thura dabant,
Et ſibi conſtitui floralia vidit Aprili
Turpi luxurie menſe patranda ſacra,
Et Dea ficta fuit meretrix, quæ ſpurca liguſtris,
Cum violis præſit purpureiſque roſis,

O vtinam seclis reuolutis florea Cloris
Regnasset tantùm, nè modo Flora foret.

De se loquitur Næuius.

CXXIX.

PLena domus gazis cunctis mea cornua pandit,
Quot quot egentillis, qui tamen ista tenent.

Ad Charidemum se falsò in Illustrissimam Sanctacruciorum familiam inserentem.

CXXX.

E Sanctacrucio iactas si sanguine natum
Te fore, non noster sed tuus error erit.
Nescio quid libræ, deerat, sic fama, paternæ,
Et poteras centum filius esse patrum.
Quid tibi conueniat decorat quos purpura multum
E Sanctacrucijs hæc duo verba ferent.
In cruce cerno duo, cerno fustemque crucemque,
Hæc Sanctacrucijs, conuenit ille tibi.

Ad N. sui amicissimum.

CXXXI.

AD te veste niger venit vir mane togatus
Cum socio hispano presbytero similis
Abrasa barba nonnunquam mellea fundens
Verba, pudor, risus cuius in ore micant.
Si sapis, hunc vites: tenera latet anguis in herbâ
Non cor adit, loculos risus at ille tuos.

Ad Vellium.

CXXXII.

MENSE sub ardenti qualis quintilis habetur,
Solibus eximijs per graue corpus erat.
Vtile cumque mihi nullum medicamen haberem,
Est in quintili nam medicina nocens;
Vt primum solis radios albescere vidi,
Ad fœcunda tuli ficubus arua pedem,

Ascendi ficum curuantem brachia ficis,
Aluus descendi quando repleta fuit,
Mox grandi patera delibans fluminis vndas
Incessi est aluus donec aperta nimis.
Hæc me narranti fuerit num cocta requiris,
Vtilis est calidis nam data ficus aquis;
Pectore sermonem voluens irascor ineptum,
Est, qui nec multis semper ineptus erit.
Iras vt ponam demostras inguina Velli,
Est ficosa celer queis medicina salus:
Hæc ego cum nequeam spectacula cernere, dixi,
Est plus quàm dicis, desine, crusque tege.

De Cloride.

CXXXIII.

LACTEA quæ candent in Cloride brachia, luctis
Vincere secretis quemque giganta valent.

De eadem.

CXXXIV.

AXEM qui torquet semper sublimis olympi
Cloridis In luctis succubuisset Atlas.

Cur palatia, vt plurimum imperfecta relinquantur, secus verò accidat casis.

CXXXV.

CVR sint excelsæ moles sine fine relictæ
Quæris? & exiguis cur data quæque manus?
Cur, peto, Magnates tollunt ad sidera cristas?
Demissusque solet serpere pauper humi?
Haud confert diues celsas cum robore moles,
Iste sui compos viribus æquat opus.
Quàm melius fuerit perstringere pauca sed aptè;
Plurima stringendo, stringere nilque bene,

De Cloe ad Priscum.

CXXXVI.

SI semel interulæ præstares munera Clois,
An fierent vnum corpora vestra duo?

De infelici sui æui conditione circa titulos.

CXXXVII.

TEMPORIS infelix nimium conuersio nostri,
Quo toties peperit res bene gesta necem.
Quos sibi, si demas titulos vsurpat amicus,
Protinus hic vitam demetit ense tuam.
Sin minuit Mimus titulos, fit plausus in aula,
Emicat & Mimi fulua moneta manu,
Turpius ecquid erit? mimo concedis amico
Quod negat, an Mimo pluris amicus erit?

Ad Lycoridem.

CXXXVIII.

FRIGORE nocturno strophio si pectora vincis,
Si quis erit tecum, non erit illud opus;

De Cloride.

CXXXIX.

CLORIDIS erectum pendet ventrale pectine,
O vtinam tumeat hoc aliquando viro.

De Eadem.

CXL.

IN vultu roseus florum gemmascit ocellus
Cloridis, in dextra plus alabastra nitent,

Ad N.

CXLI.

CVM satur ore tenus nequeas ediscere, luges;
Et mentem & ventrem nemo replere potest;

Ad

Ad Vacchiam.

CXLII.

ANTE laborares quam dira Vacchia podagra,
Regia mittebat munera dextra mihi.
Di faciant, abeat longè cito lenta podagra,
Hac mihi nam peior nulla chiragra fuit.

Ad Sosibianum.

CXLIII.

VXORI monumenta facis pulcherrima sextæ,
Iureque, sic reliquos non monumenta iuuant.

Finis Libri Tertij



VMBRARVM GENIALIVM IO. FRANCISCI RAYMVNDI CESPITELLENSIS.

Liber Quartus AETHIOPS EVROPAEVS INSCRIPTVS.



Ad Europæum nomine Blancum, secus Aethiopem.

AETHIOPEM commendo tibi carissime Blance,
Qui tecum cæpit viuere, vultq;mori.
Eius causa manes, viues, dum viuet, in illo
Dimidium cordis, pars animæque meæ.

Ad

Ad Eundem.

I.

DAT centena tibi fiſtens in nomine Muſa
Diſticha, plura dabit dum tua geſta canet.

Ad Lectorem.

II.

QViſquis es hæc centum lecturus diſticha forti
Sis opus eſt animo, nil niſi monſtra leges.

Ad Eundem Blancum.

III.

QVI potuit corui matrem dixiſſe columbam;
Ille poteſt matrem dicere noſco tuam.

Ad Eundem.

IV.

FOrmoſum ſpectat quisquis dum Blance vocaris.
Protinus at ridet dum nigra labra videt.

Ad Eundem.

V.

ANSER natus eras, es factus poſtea coruus,
Non es, & es Blancus, coruus & anſer eris;

In Eundem.

VI.

ES merulus modo, cornix, toto corpore coruus;
Qui primùm cygnus, turtur, & anſer eras.

In Eundem.

VII.

TVrtur & anſer eras, toto qui corpore cygnus,
Coruus es, & cornix, es merulusque modò.

In

In Eundem.

VIII.

BLancè magis coruo nulli similabere, solus
Ex albo coruus nam solet esse niger.

In Eundem.

IX.

SVS grunnit, grunnis, sus spumat, tu quoq; spumas,
Sus fœtet, fœtes, estis vterque pares.

Idem de se ipso Ad Lectorem.

X.

SVM niger, & non sum, fieri non posse fateris,
An sum qui Blancus nominor, ore niger?

Ad Eundem resp.

XI.

BLancus es atque niger? sciat hoc natura caueto,
Entis enim non est hæc rationis amans.

Ad eundem.

XII.

IN te candoris vestigia nulla renident,
A quo nunc Blancus dicier ergo potes?

Ad Eundem.

XIII.

DVm dicunt nigrũ, mutant tibi nomina Blance,
Et bene, de niueo nil nisi nomen habes.

Ad eundem.

XIV.

BLance tibi proprium nomen si surgere gaudes,
Nunc proprium nomen desine, sumę nigrum.

Ad

Ad Eundem.

XV.

IN medium crebro candorem nominis affers,
Quod non est in te Blance referre soles.

Ad Eundem.

XVI.

DO tibi nigrantis cornicis munera, Blancē;
Vt noscas quanto sis magis ipse niger.

Ad Eundem.

XVII.

VIsere tinctores desistito, namque colorem
Admittit nullum, qui nigricare solet.

Ad Eundem.

XVIII.

NE nigrior fias si fers vmbracula, pone;
Nil tecum quod agat flammiger æstus habet.

In Eundem.

XIX.

BLance tuo cur sis indignus nomine quæris?
Vestibus es, toto corpore, pelle niger.

Idem de se ipso.

XX.

QVòd nimijs gelidas exustus solibus vndas
Miraris quæram? sum phaetontis opus.

In eundem resp.

XXI.

ES phaetontis opus? caueas ne fulmine tactus
Horrisono fias Deucalionis opus.

In Eundem.

XXII.

NE niger existas calidis immergeris vndis;
Sic albus fieri Blancenè credis aquis?

In Eundem.

XXIII.

SI spectas nomen, superas candore ligustra,
Si verò corpus, nigrior esse nequis.

Ad Eundem.

XXIV.

BLance quod ostendat quererer contraria nomē,
Impositum nomen si foret ad placitum.

Ad Eundem.

XXV.

ACcipe cerussæ libram cum calce rubenti,
Cornicis verè nam tibi vultus adest.

Ad Eundem.

XXVI.

NOmen idem fratri, similis nō vultus vtrique,
Cur? tuus est frater Blancus, at ipse niger.

Ad Eundem.

XXVII.

FIt mihi suspicio vultus dum cerno parentum,
Si bene conspicies non niger alter erit.

Ad Eundem.

XXVIII.

SI mage nil tenebris existit luce propinquum,
Inter te & nomen nil valet esse tuum.

Ad Eundem.

XXIX.

NOminis eſt candor, nigredo corporis, ille
Eſt etiam patris, tota nigredo tua eſt;

Ad Eundem.

XXX.

NIgrum nigra decent, noctu vigilare memento,
Et dormire die, ſic bene cuncta fluent.

Ad Eundem.

XXXI.

MOrtales pariles cunctos tibi Blance fateris;
Si quis in his niger eſt, candidus eſſe poteſt.

Ad Eundem.

XXXII.

NOmen habes clarum, concedo Blance, ſed iſto
Dempto, deformis, turpis es, atque niger.

Ad eundem.

XXXIII.

DIſplicet, vt video, tali te nomine dici,
Non quia ſis Blancus, diſplicet eſſe nigrum.

Ad Eundem.

XXXIV.

FIt mihi ſuſpicio de re, tum nomine, Blance
Candeſcas ſemper ni bene, dic: quid eris?

In Eundem.

XXXV.

DAt cælum candor, nigrum, ſi prævalet, vmbras,
Ex his debetur quid tibi iure vides.

Ad Eundem.

XXXVI.

FElix forte tua natalia Blancula ducens,
Infelix contrà, nam niger artus ineſt.

Ad Eundem.

XXXVII.

SI vir es, vt cerno, non audeo dicere porcum;
Qui porcum reddis veſtibus, ore, pilis.

In Eundem.

XXXVIII.

TE cernens nigris inflantem cornua buccis
Sus, dicam, grunnit candidus, atque niger.

In Eundem.

XXXIX.

INſtar candentis genus eſt tibi Blance papyri;
Sc calamus linguæ tingit in ore tuo.

Idem Ad Autorem.

XL.

ESt nota tam grandis nigredo corporis in me
Si nomen pendes maior adeſſe nequit.

Ad Eundem.

XLI.

BLancus adeſſe tuum nomen ſi Blance fateris;
Ridebunt omnes, ſi ſapis, adde: niger.

Ad Eundem.

XLII.

MEntiris mentham, vultu cum Blance nigreſcas
Aſt cum non multum, . . . ſemper eris.

Ad

Ad Eundem.

XLIII.

CVr modò te similem Coruo, vis noscere causã?
Nil aliud semper quam crocitare facis.

Ad Eundem.

XLIV.

TE magè conferrem nigris felicius hædis,
Ni tibi carniucri dens foret, osque lupi.

Ad Eundem.

XLV.

SI niger haud es, & es, nõ est cur pluribus æquẽs,
Haud cum te similo prodigiosus ines.

Ad Eundem.

XLVI.

CAndidus, an niger, existas dubitabile cum sit,
Non datur æqualis, iam potes esse nihil.

Ad Eundem.

XLVII.

SI potes esse nihil, nullus felicior est te,
Nam quis te contra sumere tela potest?

Ad Eundem.

XLVIII.

NAturale tuo speculum magè nõ datur, in quo
Ad viuum Blancus redderis, atque niger.

Ad Eundem.

XLIX.

A Cunctis Blancus cum vespere, mane voceris,
Nec candes vnquam, maxima Blance facis.

De

De eodem. Ad Lectorem.

L.

EXtremos Blancus vis claudat morte labores
Lector, ab illius corpore tolle nigrum.

Ad Eundem.

LI.

CVm niger, haud ue niger sis, te sine viuere nullus
Est nec, qui tecum viuere possit, homo.

Ad Eundem.

LII.

SPectat ad Aethiopes nigrum, candescere nostra
Refert, tu solus Blancus vtrumque tenes.

De Eodem.

LIII.

QVot Blācus similes numerat sibi nemo virorū,
Nam similes olli sunt ab vtroque polo.

Ad Eundem.

LIV.

VT fieres mi Blance tuus si tonsor haueret
Candidus, ò quàm calx sæpe petenda foret!

Ad Eundem.

LV.

CVm tibi sit nullum candoris corpore signum,
Dic mihi nunc quare Blancus adesse velis.

De eodem.

LVI.

QVi modo tonsorem petijt, si Blancus adesset,
Sit calx, sit feruens, & data lympha focis.

Ad Eundem.

LVII.

OMnibus exoptas ſi candidus eſſe, nigerque
Nulli, non vnquam fac videare die.

Ad Eundem.

LVIII.

IN te defigo quoties mea lumina, vultum
In niueo toties ſtipite cerno nigrum.

De eodem ad N.

LIX.

QVem iuuenem cernis, ſignatum nomine Blanci
Eſt pariter, mirum! candidus atque niger.

In Eundem.

LX.

EVropæa tibi ſurgunt cognomina Blance,
Aptius æthiopis quàm tibi nomen erat?

Ad Eundem.

LXI.

CVm ſis cornicis ſignatus imagine vultu,
Blance nihil aliud, quàm niger eſſe potes.

Ad Eundem.

LXII.

CVm tibi nigra manus, ſit nigrum deniq; corpus,
Cur potiùs nomen non tibi dextra dedit?

Ad Eundem.

LXIII.

NOmine membra tibi pluris ſi Blance putantur,
At mihi quàm nomen membra minoris erũt.

In

In Eundem.

LXIV.

REdde tuum nomen patri, cum corpore totus
Sis niger, & matri cætera redde tuæ.

Ad Eundem.

LXV.

INſpice te primum, paulò poſt inſpice patrem,
Miratus dices: non meus ille pater.

Idem de ſe ipſo.

LXVI.

IN tenebris Blancus nullus dubitabit an adſim;
Cum ſecus in luce, eſt lux tenebroſa mihi.

Ad Eundem.

LXVII.

FIniet æthiopum Lacheſis dum ſtamina vitæ,
Hìc ſis, aſt contrà, ſicque perennis eris.

In Eundem.

LXVIII.

QVi mihi cygnus eras, patris dum vita manebat,
(Si pater ille fuit,) nunc mihi coruus eris.

In Eundem.

LXIX.

CVr pudeat nigrum cunctis te Blance fuiſſe,
Num natura tibi candida membra dedit?

In Eundem.

LXX.

A Tota Blancus tu quamuis vrbe voceris,
Te nigrum dicet, qui cupit eſſe ſalax.

Idem de se ipso ad N.
LXXI.

NOmine candorem signans, sed corpore nigrum,
Sum monstrum, quid? si candidus ore forem?

Ad Eundem.
LXXII.

ORe fores Blancus veluti si nomine, toto
Candidior planè nullus in orbe foret.

De eodem ad N.
LXXIII.

ILle velut Blancus nobis qui scurra tenetur,
Si demas nomen, cætera nigra sapit.

Ad Eundem.
LXXIV.

NOmine candenti cum corpore dantur honores,
Ergo tibi nullus sic tribuendus honos.

De *Eodem.*
LXXV.

PAscetur Blancus proprijs tunc temporis escis,
Cum fuerit mensis candida nulla dapum.

Ad Eundem.
LXXVI.

AEthiopes esses inter, me iudice, primus,
Ast europæos infimus inter eris.

Ad Eundem resp.
LXXVII.

QVàm magis hæc omnes Blancus vox, afficit albos
Tam tibi non albo conuenit illa minus.

In

In Eundem.
LXXVIII.

QVæ plerumque suis respondent nomina rebus,
Hæc voluere virûm ludus vt ipse fores.

De eodem.
LXXIX.

NOn tantum gignit nigros ægyptia tellus,
Nam dedit æthiopem terra latina virum.

Idem de se ipso ad N.
LXXX.

SVm niger ore tenus, si fiam candidus ore,
Non tibi, non alijs despiciendus ero.

Ad Eundem.
LXXXI.

ET niger, & Blancus poteris tu nomine dici,
Vnus enim rectè nomen vtrumque tenes.

Ad Eundem.
LXXXII.

ESt te candidior nullus, nec nigrior alter,
Inter se pugnant, quæ facis esse simul.

Ad Eundem.
LXXXIII.

ORdine si fierent inuerso cuncta, profectò
Non addenda tibi, nec minuenda forent.

Idem de se ipso.
LXXXIV.

NI mea membra forent nigro fœdata colore,
Non foret in toto candidus orbe magis.

Ad Eundem.
LXXXV.

A Niueo Blancus fuerit qui corpore dictus;
Non dabit alba tibi, sed dabit alba sibi.

Idem de se ipso.
LXXXVI.

NIl adimit nobis, nobis qui nonnigra demit;
Abripit ast vitam, qui mihi nigra rapit.

Idem de se ipso.
LXXXVII.

QVid me compactum subnigro corpore rides?
Nigrior æthiopi pulchrior esse solet.

Idem de se ipso.
LXXXVIII.

REddentem nomen formam mihi credis inesse;
Falleris, ablato nomine coruus ero.

Ad Eundem.
LXXXIX.

A Te cum speret sibi candida quisque stupebit;
Postea cum trades nigra videnda sibi.

Ad Eundem.
XC.

HOc licet albenti sis totus nomine trunco,
Inspiciens truncum non tamen alba videt.

Idem de se ipso ad Lectorem.
XCI.

BLancus adesse feror, nigresco corpore totus,
An scis cur potius Blancus adesse feror?

Ad

Ad Eundem.

XCII.

NOn tibi mendaces essent materque paterque,
Horum tinxisset si tua membra color.

Idem de se ipso.

XCIII.

CVm mihi de facili quiuis nigredine cedat,
Non video quare Blancus adesse ferar.

Idem de se ipso.

XCIV.

A Patris Blancus dicor cognomine, mater
Dum peperit nigrum deteriora dedit.

Ad Eundem.

XCV.

ES niger? en fumus, candes? candescit & illa,
Est omni similis parte chimæra tibi.

Idem de se ipso.

XCVI.

QVi nunc inspectus videor niger omnibus esse;
Dummodo non videar, nonniger esse ferar.

In Eundem.

XCVII.

CVr te non aquilæ similem, vis noscere causam?
Hæc colit alta diù, tù colis atra diù.

Ad Eundem.

XCVIII.

AEthiopes albis ridentibus, & vice versa,
Amborum Blancus tu potes esse iocus.

Ad Eundem.

XCIX.

ET niger, & Blancus cum sis, similare chimæræ,
Ne sis maioris causa, recede, fuge.

Ad Eundem.

C.


HEu fuge, nãq; nouos aptat sibi musa cothurnos:
Num satis est lusum musa iocosa? tace.



VNI-

VNICA ELEGIA

De eadem materia.




Ad Blancum.

INDVITO pennas, perpenso nomine cygnum
  Te dicam, vultu noctua semper eris;
Ad placitum volitare potes noctuque diuque
  Sic, vnus lucis noctis & ales eris.
Pallor, cum lucis nec noctis vera fereris
  Ales, sic nunquam tuta volare potes;
Nam tenuem leuibus dum scindes aera pennis,
  Euellent facie lumina lucis aues;
Teque tenebrosum latum per inane volatu
  Lœtali excipient vulnere noctis aues.
Terque quaterque miser! nullum volitare per æuũ
  Cum valeas, rodet viscera dira fames:
Viscera dira fames rodet; cum mors obeunda
  Sit tibi, num melior mors generosa foret?
Mors generosa foret melior, quâ claudere posses
  Ridiculam vitam, ast fata subire nequis;
Nam nece lucis aues nolent adimaris acerba,
  Nec sinet vt pereas vulnere noctis auis.
O nimium infelix! nequeas cum cedere fato,
  Non est in toto te magis orbe miser.
Nam rogus vrentes exoluens pectore curas,
  Quò magis angaris, tangere membra negat;
Quodque datur cunctis mortali semine natis,
  Hoc tibi, sed meritò, denegat alma parens.
Commiseror multum: tibi quàm prodesse peroptẽ
  Ex hoc de facili noscere quisque potest.
Quin tua tam tristi releuarem membra dolore,
  Mens mea non poterat mœsta quiete frui.

Est morbo medicina tuo; cum fulgurat Eos;
Et silet omnis auis, sumito tela manu;
Sumito tela manu, cerebrum queis figere possis,
Sique cares cerebro, sternere membra queas,
Aut sapiens vitæ valeas abrumpere filum,
Non id ages, quare? dulcis es ipse sale.
Sit satis effictis lusum tibi Blancule pennis,
Pennis iam positis membra resume viri;
Sic sapies, si verò nigrum candescere nescit,
Vt potes in sanum mente redire virum?
Esto quòd insani valeas assumere formam,
Et nigri possit candor habere locum,
Atque mori cunctis sub vtroque iacentibus axe
Concessum, pariter det tibi summa parens,
Non tot gorgoneis stridet vallata colubris
Hydra, quot ex istis cernere monstra foret,
Nec tot erithræo gignuntur littore gemmæ,
Ex te quot solo iurgia magna fluunt;
Quæ cum non aliquo numero perstringere possim,
Nam quoquo numero copia maior inest,
Fecerit ac inopem cum me modo copia rerum,
Vnum de tot erit me retulisse satis.
Ergo dies valeas extremos claudere vitæ,
De nece contendent terra, polusque tua.
Hic candoris amans, auditâ morte, parabit
In reliquis sedem, quæ mage pulchra nitet,
Nubibus obductus funus plorabit acerbum,
Totque faces aderunt, quot tenet astra polus.
Aera complebit reboantibus vndique nimbis,
Incendet vacuas flamma corusca plagas.
Sed contrà tellus, superis vt viderit esse
Te gratum, labris atra venena vomet.
Te nimium fessæ naturæ dicet abortum
Indignum labris, qui sua membra premat,
Alboremque simul, quo tantum sidera gaudent,
Non te, sed totum nomen habere feret:
Hæc vbi dicta: polus quas non ardescet in iras?
Hæu quæ pœnarum dira metenda seges!

Fulmina, tela, faces vibrabit ab æthere summo,
In te vibrabit fulmina tela faces,
Nec prius ardescens animum reuocabit ab ira,
Quin te, demissis ignibus, igne voret,
Aut premat horrificū contorquens fulmen ab alto
Aut atras cineres obruat vnda tuas.
Nec mage sedatos irarum pectore fluctus
Terra volutabit, nec magè pœna leuis.
Senserit hæc postquam conuersas fluctibus esse
In coenum cineres, hæc citò iussa dabit:
Eumenides properate gradum deprehendite cœnū
Corporis & mentis sitque capax iterum;
. . . .
. . . .
O nimium nimiumque miser? quid restat agendū?
Quò quò te vertes est tibi nulla quies.
Si tua sideribus defiges lumina supplex,
Sidera non radios, sed fera tela dabunt.
Ad terram lachrymans si flectes luminis orbes,
Sis, ager in lachrymis naufragus illa tuis.
Sume tamen vires, terram nec sidera cures,
Non deerit sedes, quæ tua membra tegat.
Non deerit sedes membris gratissima, vitæ
Dummodo non rumpat stamina parca tuæ.
Inuenies sedem sumptis si viribus, arcto
Ad collum laqueo mortis habebis iter;
Incola sic auræ fueris cum factus, agendum
Nil tibi cum cœlo, nil tibi restat humo.
Ludere quique prius manibus de more solebas,
Mox auræ lusus dulcè sonantis eris.



De eadem materia EPIGRAMMATA.



Alloquitur Autorem Blancus.

I.

IN me, miraris, cum tam contraria nectam,
 Et me carminibus dilacerare potes?
Nomine de nostro duxisti disticha centum,
 Nec satis est? fiet num laniena mei?
Nomine de vestro deduxi disticha centum,
 Nec satis est, fiet nec laniena tui.

Ad Eundem.

II.

PErgis ad æthiopes Europæ limina linquens,
 Ex nigro fieri dum cupis albus ibi.
Stulte quid exoptas? non est natura per omnes
 Terras, ac in te prodigiosa fuit.

In eundem.

III.

ESt quare similis porco mi Blance feraris:
 Nigrior ille pilis, nigrior ipse cute es.
Hac re dissimilis porco fortasse videris,
 Alba quòd est porci, sed tua nigra caro.

In Eundem.

IV.

EX hebeno ductum si quis te ponet in hortis,
Non eris, & cunctis ipse Priapus eris.
Ipse Priapus eris, cum sint tibi membra Priapi,
Non eris, hic albus cum sit, & ipse niger.

In Eundem.

V.

BEllua refert te nulla magis quã bubalus, es qui
Bubalus ingenio, bubalus ore, pilis.
Tuque file qui fers obstacula, namque, quid infert?
Si trahit hunc nasus, te quoque tale trahit.

In Eundem.

VI.

CVm modo sit nigros, albos modo cernere vultus
Dissimilis Lunæ non eris ipse nouæ,
Quæ modo clarescit, nimbis modo tecta nigrescit,
Peneque sub vultu est, cum male visa fugit.
Es nec in hoc tantum similis; lunaticus esse
Notus es haud illis, quos tua vita fugit.
In tantis desunt solum tibi cornua, verùm
. . . .

In Eundem.

VII.

DEfiget quisquis tibi lumina, nigrior ille
Est sue, seu coruo dicet vterque parens.
Est Blancus genitor cum re, tum nomine, mater
Est simul alba, nigrum quis dedit esse tibi?
O quàm difficilis nodus! fit gordius alter,
Non es suppositus, . . . adesse potes.
Talis adesse potest casta de matre? Poeta
Aethiopes albam num genuisse refert?

Est verum genuere albam, cum mente figura
 Cælestis genij concipiendo foret.
Ast adeo turpem cum te produxerit, ori
 Aut sus, aut coruus concipiendo fuit.

In Eundem.

VIII.

EGregiè manibus ludenti Blancule tecum
 Ludere par impar mens mihi sæpe fuit.
Vnum me remouet, ne iungens candida nigris,
 Par impar sola iungere voce scias.

In Eundem.

IX.

DEtergit quoties opus est tibi dextera nasum
 Argueris, dicis, sunt nigra lina nimis.
Est perridiculum! sudaria nigra videri
 Te pudet, os nigrius non pudeatque tegi.

In Eundem.

X.

CVr te tot similem belluis, nullique virorum,
 Dixero, da veniam te rogo Blance mihi;
Nam licet Aesopum & Thersiten mente tenerem,
 Iure videbaris turpis vtroque magis.
Inueni binos manibus pedibusque iocantes
 Sub ligno, medias sole tenente vias.
Quos vbi perspexi multum te fronte referre,
 Hæc num sum veritus prodigiosa forent;
Nec mirum! quis enim spatijs in pluribus vnum
 Vidit disiunctim plura tenere loca?
Qui sint, qui fuerint suspensi denique quæro,
 Respondet quidam; fur hic, & ille fuit.
Tunc me fraudatum cognoui lumine, furis
 In te quandoquidem per leue crimen erit.

Quòd

Quòd tibi si quereris conuicia turpia fundam,
Idemmet iudex sit tibi, sitque mihi,
In ius namque tuis ductis rationibus ampl
Paucis restringens nonnihil ore feram,
Abrepta barba tibi, iudex audiet à me:
Num tibi suspensi visus hic esse patet?

Ad Eundem.

XI.

INduit ausonius personam tempore bacchi;
Dum faciem facies induit alba nigram.
Cum facies duplex tibi sit mi Blance perenne
Hinc personatus Blance perenne viges.

In Eundem.

XII.

ESse quid hoc dicã, quod nigricat vtraq; palma,
Albescunt nullo tempore quodque manus?
Fit mihi suspicio de re, tum nomine, semper
Ni bene candesces, quid, nisi coruus, eris?

Ad Eundem.

XIII.

NOminis atque tui similis pictura negatur;
Cur hoc? depingi nulla chimæra potest?
Omnia cum valeant depingi monstra, nec adsit,
Qui te depingat, cætera monstra præis.

Ad Eundem.

XIV.

BLance tuum cepi nomen vix aure, Sibyllæ
Antrum Cumææ dum mihi mente fuit.
Candidus est aditus, multùm nigrescit at intus;
Nomine tu Blancus diceris, ore niger.
Quòd si vana tenent hanc sedem somnia; terris
Quod phantasma potest pulchrius esse tuo?


Ad

Ad Eundem.

XV.

PRo meritis condita tuo fortasse sapori
  Hæc si non fuerint, parcere quæso velis:
Nam viget in votis componere grande volumen,
  Et tua materiem grandia gesta dabunt.
Nominis exque tui si rosimus ossibus illa,
  Quæ fiet fandi copia pinguis adeps?

Finis Libri Quarti.



VMBRARVM GENIALIVM IO. FRANCISCI RAYMVNDI CESPITELLENSIS.

Liber Quintus.

LILLA CODRETA INSCRIPTVS.



Ad Lillam.

I.

SI mea non æquo celebrat te musa cothurno
Ingenio pauper, diues amore tui,
Parce precor, ſiquidem dederint ſua munera largè
Cum tibi culta Charis, Cypria Virgo, Themis,
Non eſt qui memoret laudes; inflare tuarum
Sola potes laudum Lilla Codreta tubas.

Ad

Ad Lectorem de eadem.

II.

QVot numerer dotes pulcherrima Lilla requiris?
Dic quas non habet, & quas habet ipse canã.

Ad eundem de eadem.

III.

ET Venerẽ Lillam, Lillam Veneremq; putares,
Cernere si viuas esset vtrasque Deas.

De *Anima.*

IV.

NOn anima Lillæ viuit modo purior orbe,
Quæ nullis vitijs contemerata nitet.

De Eadem.

V.

ESt opifex animæ summi Regnator olympi,
Percipit hac, vegetat, sentit & omnis homo.

De Veritate.

VI.

ESt quæ vis animæ, fons, & virtutis origo,
Hæc in Lillæo pectore firmat manet.

De Animo.

VII.

INterris animus vigeat generosior anceps;
Affectus animi nam generosa domat.

De Virtute.

VIII.

ESt habitus virtus animi rationis amicus,
Cum medium teneat, hanc mea Lilla tenet.

De

De *Affectu*.

IX.

AFfectus vehemens animi commotio fertur
Irrationalis, quem ratione premit.

De *Amore ad Lillam*.

X.

SI nihil est amor, ergo quid est quod sentio Lilla?
Si quid amor tamen est, vt dolor esse potest?

De *Eodem*.

XI.

ADdit amor Lillæ vires de corpore sumptas
Ingenio: tantum est ingeniosus amor.

De *eodem, & de Honestate*.

XII.

SEmper amor Lillæ, fuerit cum semper honestas,
Fons & amoris erit, fons & honoris erit.

De *Mente*.

XIII.

MEns audit, cernit, penetrat velocior omni
Cùm mare, tum terras aera, tecta Dei.

De *Eadem*.

XIV.

NIl minus humanos in Lillæ corpore sensus
Mente sapit, siquidem sidera mente capit.

De *Ratione*.

XV.

QVæ bona, quæ mala sint ratio discernit, amica
Recti, virtutes eligit, atque fouet.

De

De Intellectu.

XVI.

PErcipit hic oculis nullum subiecta per auum
Principiorum habitus, vis, animique decus.

De Eodem.

XVII.

NOn est humanum rerum cognoscere causas,
Quas intellectus lumine Lilla videt.

De Iudicio.

XVIII.

QVid sit vitandum Lillæ; sit quidue sequendum
Iudicium monstrat vis, animique salus.

De Consilio.

XIX.

INuenit & trutinat persæpe latentia plura
Consilium, melius iudicat, atque capit.

De *Ingenio.*

XX.

VIs animi ingenium per quam diffunditur ingẽs
Hinc & ab ignotis cognita cuncta trahit.

De Eodem ad Eandem.

XXI.

DVm facis ingenium tantum, gemmascat amantũ
Possumus è facili noscere quale tuum.

De Memoria

XXII.

QVæ nescire cupit, submergit flumine lethes,
Quæ non vult, memori pectore firma tenet.

De

De Memoria, Sensu, & Spe.

XXIII.

HAc animus repetit fuerant quæ credita primũ,
Quæ modo sunt sensus, spesque futura petit.

De Voluntate.

XXIV.

QVæ ferri solet esse potentia cæca voluntas,
Argus erit Lillæ, quæ meliora capit.

Ad Eandem de sua Materia.

XXV.

CVm sublunarem superes, æquesque supremam,
Materiam, æthercam quis neget esse tuam?

De Forma.

XXVI.

INspicio quoties Lillam, formosior illa
Fit mihi, cælestis quid mihi forma sapit.

De Quantitate.

XXVII.

QVanta sit, ignoro, tamen haud me præterit illã
Iugiter æthereas voluere mente plagas.

Ad Lectorem de eiusdem qualitate.

XXVIII.

AD quid me rogitas qualis sit Lilla? minorem
Maioris iudex non valet esse minor.

De Cute.

XXIX.

SI cutẽ pallenti pallentes dicimur esse,
A cute purpurea purpura Lilla rubet.

De

De Aspectu.
XXX.

EDitus aspectus cælesti semine verè,
Qui potis est mœstos exhilarare viros.

De *Ossibus*.
XXXI.

ESt iste Lilla dictum, pro absentibus ossa,
Expedit ad quoddam tempus abesse mihi.

De Corporeis Sensibus.
XXXII.

VIsio, gustus, odor, nec non auditio, tactus
Sunt plenè Lillæ, seu patiatur, agat.

Ad Sensus.
XXXIII.

ESt vestrum sensus species si reddere menti,
Lillæas menti reddito quæso meæ.

De Auditu.
XXXIV.

COdretæ semper lætus pendebit ab ore
Qui semel illius nectare pastus erit.

De Visu.
XXXV.

NOctes atque dies insomnes ducere vellem,
Si contemplandam se mihi Lilla daret.

Ad Lectorem de auditu & visu.
XXXVI.

TV sileas quamuis, audit te Lilla silentem,
Es quæ dicturus, singula fronte legit.

De ijsdem.
XXXVII.
ORa resoluisti nondum, iam Lilla per aures
Dicta tenet, mutis esse magistra potest.

Ad Lectorem de eodem gustu.
XXXVIII.
SI quæris gustet terrestria Lilla, memento
Non gustare solum, qui colit astra diu.

De Odoratu.
XXXIX.
VT nunc percipiat maiorem Lilla, viretis
Est ex æthereis ille petendus odor.

De Eodem.
XL.
PLuris erit semper Lillæ de corpore spirans,
Quolibet in terris, is mihi pluris odor.

De Tactu.
XLI.
VT semper tactus Lillæ perfectior adsit,
Sit nobis semper dicere: Lilla valet.

De cogitatione, verbo, & opere.
XLII.
QVid secum pendat, dicat, faciatue meus sol,
E dici nullo prorsus ab ore potest.

De Cogitatione.
XLIII.
CVm nequeat rebus persistere Lilla creatis,
Aptatis pennis hinc fit vt astra petat.

De *Verbo*.

XLIV.

STelligeras Codreta plagas cum mente volutet,
Hinc paradisiacũ nectar ab ore fluit.

De *Eloquio*.

XLV.

ELoquium cæleste sapit, terrestre tametsi,
Effluit ex terræ cælica lympha sinu.

De *Cantu*.

XLVI.

DVm tremulo sacros modulando gutture cantus
Gemmea labra mouet, pectora nostra fouet.

De eadem orando sedenti.

XLVII.

INcumbens sedi precibus ferit astra benignis:
Hæc si Lilla sedens, stando quid illa geret?

De eadem stando oranti.

XLVIII.

PLus agit exorans, stando, genuflexa Tonantem,
Sic est: vi nulla flectitur ira Dei.

De eadem genuflectendo oranti.

XLIX.

VIncere Lilla Deũ nequeat cũ stando, quid illa?
Exorans vincit, sed genuflexa, Deum.

De eadem oratrice.

L.

EXcellens orator inest, qui corda virorum
Flectit, & ista virum flectit & ista Deum.

De eadem philosophanti.

L I.

Omni mentis opus rectè cum dirigat æuo,
Quis logicam Lillam ritè tenere neget?

De eadem Choreas ducente.

L I I.

Cor eat est vsus, ducit si Lilla choream,
Cor ea vi nostrum quippe chorea rapit.

De eadem cæli opum auara.

L I I I.

DAt bona pauperibus, fiat quò diues in astris,
Sic mage diues erit, dum mage pauper erit.

De Sapientia.

L I V.

QVi Sapiens? qui mente capit Deus omnia; Lilla
Quæ mediocre capit, num mediocre sapit?

De Fama.

L V.

QVis famæ splendor, dicam, supereminet astra,
Instar nam flammæ sidera celsa petit.

De Fide.

L V I.

QVæ statuit credenda suis Ecclesia Romæ,
Credit, & hæc factis comprobat vsque piis.

De Spe.

L V I I.

SPem totam summo Rectori figit olympi,
Sicque mori nunquam, viuere semper erit.

De

De Charitate.
LVIII.

Lillæ sidereis inhiando dextera gazas
Non dat auara, Dei ne fit auara manus.

De eadem.
LIX.

CAra solo viuit, viuit carissima cælo,
Nam capit id solum quod dedit esse Deus.

De Verecundia.
LX.

VIrtutis tinctura pudor, qui spectat honesta,
A se, quæ longè sunt inhonesta fugat.

De eadem Officium B. V. Mariæ. recitante.
LXI.

VIRGINIS Officium Lilla recitare virorum
Nullum maiori relligione puto.

De eadem.
Coronam Domini persoluente.
LXII.

QVæ gemmat raris composta corona smaragdis
Dicta placet Domino, Lilla sed ipsa magis.

De eadem.
Corona Domini Officium B. V. M. circumdante.
LXIII.

VIRGINIS Officium Domini Codreta corona
Implicat, haud poterat nobilitare magis.

De

De Capillis.
LXIV.
VIncula sunt Lillæ crines, queis nectit amantū
Corda, sed his vinclis stringier omnis amat.

De Coronis in capite.
LXV.
SErica componit complures vitta coronas
Crinibus: est Lillæ non satis vna meæ.

De Gemma
Coronarum sinum perficiente.
LXVI.
GEmma coronarum vacuum pretiosa coronat;
Alterius gemmæ perficit illa sinum.

Ad Spinam auream.
LXVII.
QVæ roseos Diuæ sustentas aurea crines,
Tempora ne Dominæ spina forare velis.

Ad paruulas spinas.
LXVIII.
QVàm bene fulcitis Codretæ stemmata spinæ,
Officio tanto vos diadema decet.

Ad pectinem.
LXIX.
IN Nymphæ syluam venıet si bellua pecten,
Illi viuentem, si potes, affer eam.

Ad virgam chrystallinam.
LXX.
QVid crispas Lillæ chrystallina virga capillos?
Sit cupio nostrum, non basiliscus, amor.

Ad vnguentum capillorum.

LXXI.

HAud liquor ò ſyrius laudum capitolia ſcandis,
Ebria quòd nunquam ſit coma rore tuo.

De puluere cypria.

LXXII.

CYpria dat puluis canos ad tempora crines;
Non eget hac iuuenis Lilla, ſed arte ſenex.

De ſpeculo.

LXXIII.

QVis latro ſpeculis aſtutior? ecce reportant
Ex Lilla Lillam, nilque tuliſſe patet.

De auribus.

LXXIV.

CLauſa patenſque diu Diuæ ſupereminet auris;
Auris clauſa malis, auris aperta bonis.

De inaure.
Inſtar cymbæ elaborata.

LXXV.

AVrea quæ Nymphæ tenera dependet ab aure,
Non timet irati cymba pericla maris;
Effugit & nunquam, ſemper ab aure fugit.

De Fronte.

LXXVI.

FRons veluti cælum radiantia lumina fundit;
Quæ nubis nunquam contegit atra lues.

De Eadem.

LXXVII.

QVæ legit, illa legit memor eſſe in frõte legẽda;
Frons index animi cordis imago loquax.

Ad

Ad rugas.

LXXVIII.

VOs pudeat rugæ frontem crispare serenam;
Frons Lillæ sedes namque pudoris inest.

De temporibus.

LXXIX.

QVo cingam serto Codretæ tempora, virtus
Qualibet intexit cui diadema nouum?

Ad supercilium.

LXXX.

MActe supercilium Diuæ custodia prima;
Reginæ cilium macte secunda meæ.

Ad cilium.

LXXXI.

VIue diù felix cilium, quòd lumina nostri
Claudere nunc solis, nunc aperire vales.

De palpebra.

LXXXII.

CAndidius, nigriusue nihil, quam palpebra Lillæ,
Ad libitum noctem nam parit, atque diem.

De oculis.

LXXXIII.

AVricomis frontis cælum collucet ocellis;
Solibus vt binis, non satis vnus erat.

De oculorum grauitate.

LXXXIV.

NOn spectat, populo quamuis spectetur ab omni:
Demissos oculos cum grauitate gerit.

De oculorum modeſtia.
LXXXV.
DEmiſſis oculis ſic magna modeſtia fulget,
Vt ſit ſplendori clauſa vel ipſa ſibi.

De ſe loquitur oculorum albumen.
LXXXVI.
CVm ſim nullius, cunctorum ſimque colorum,
Aſſimilor cælo, ſol hic ocellus erit.

De Iride pupillæ.
LXXXVII.
IO triumphe: meum tandem ſpectabo ſerenum
Solem, pupillas iris amica tenet.

De oculorum pupilla.
LXXXVIII.
MEmbranis quæ ſepta nouem tenuiſſima fulget,
Non ſecus atque globis, ſolis adinſtar adeſt?

Ad ſomnum de Lilla.
LXXXIX.
SI plumis clauſura breui dat lumina ſomno
Blandule ſomne veni, ſomnule blande veni.

De facie.
XC.
DE pingens faciem ſemper quid pictor habebit
Addat, ſic nunquam ſcribere, fecit, erit.

De naſo.
XCI.
NEc nimis elatus, depreſſus nec nimis extat,
Cum medium teneat, pulchrior eſſe nequit.

De

De nasi orbiculis.

XCII.

ORbiculi nasi Lillæ dum manserit orbis
Durent, queis nullus pulchrior orbe rotat.

De labro.

XCIII.

PRincipis in mensis sint fraga rubentia, Lillæ
Dummodo fraga labri stent animata mihi.

De labijs.

XCIV.

IN roseis hilaris labijs sic purpura fulget,
Vt niteat nullo murice conca magis.

De dentibus.

XCV.

NEc Lillæ fractus, nec erit frangendus in æuo,
Dens vllo, dentem non, adamanta puto.

De ijsdem.

XCVI.

OS Diuæ cælum, si dicam, non male dicam;
Nam Lillæ dentes tot velut astra nitent.

De lingua.

XCVII.

QVid melius lingua! lingua quid peius habetur?
Vt Lillæ partis optima semper erit.

De palato, ac gula.

XCVIII.

DVm recreant tenerum Lillæ pretiosa palatum
Pocula, delectent fercula grata gulam.

De eadem materia.

XCIX.

NOn vt edat viuit, sed edit quò viuat in Orbe,
Hoc hominis proprium est, anteriusue feræ.

De ore, & facie.

C.

AVstriacum nitet ore d[illegible] clarius ostro,
Quòd faciem [illegible] fonte lauare solet.

De collo, & vultu.

CI.

NIl Diuæ vultu terris rubicundius ardet;
Ejus nil collo candidiusue micat.

De murenula aurea Ad Lectorem.

CII.

ESse putas filum pendens ex pectore torquem:
Tam bene vincla simul concamerata vides.

De aurea catena.

CIII.

QVæ Lillæ collum vincit, non vincit, at ornat,
Quæ non colla premit, fulua catena premit.

De monili aureo.

CIV.

AVratos plures torques gestare suescunt.
Ex auro nostras Lilla monile gerit.

De venis.

CV.

LActea quot venis animentur brachia Diuæ
Qui scit? quiue sciet? Lilla perenne valet.

De

De arterijs.

CVI.

FEbribus immunis rabidis arteria Lillæ
Provenis nunquam capta resecta cadat.

De aureis armillis.

CVII.

SI placet armillis Lillæ radiantibus auro
Stringier, an Lillæ carcer amandus erit?

De manibus.

CVIII.

DExtrâ lauât læuam, per dextram læuâ lauatur,
Vultum purgat aquis vtraque iuncta simul.

Ad Lectorem de manicis.

CIX.

ET manicę Lillá, manicis & Lilla calescit,
Diç: huius quidnam causa caloris erit?

De chyrothec[illegible].

CX.

PAr chyrothecarum vill[illegible]ium, par leue Diuæ
Est, hoc æstus hab[illegible] frigus at illud auet.

De pugno.

CXI.

AN quoties [illegible]igitos Codreta coarctat in vnum,
Ex [illegible]nis toties margaris vna micat?

De lilijs præ manibus.

CXII.

Lilia quem melius Lilla gest[illegible]re decebit,
Quæ Regis florum nomen, & omen habet?

De Sudario.

CXIII.

EXplicat è theca quoties sudaria, quiuis
Ambrosio redolet plenus odore locus.

De digitis.

CXIV.

IMparibus digitis plectri dum fila canori
Aurea fila ferit, viscera nostra ferit.

Ad pollicem.

CXV.

E Reliquis polles digitis pellucide pollex,
Si polles Dominæ cor mihi pande meæ.

De Indice.

CXVI.

INdice: exopto nobis vbi Lilla quiescat
Index, nam præstat cætera solus amor.

Ad medium.

CXVII.

ESse meam Lillam contendo, Lilla negatque;
Te medio litem vincere posse puto.

Ad annularem.

CXVIII.

DIc mihi, conueniens quãdo tibi nomina? maius
Auro cum pretium gemmea Lilla dabit.

Ad auricularem, seu minimum.

CXIX.

VLtimus è digitis Diuæ præconia claudas:
Non est in minimo claudere magna, vale.

De vnguibus.
CXX.

NOn vngues nutrit longos furetur vt aurum,
Atqui sic digitis maior iaspis erit.

De *pectore.*
CXXI.

EST imbelle meæ Diuæ, sed pectus honestum;
Quæ contorquet amor, tela retorquet honor.

De *rosarum folijs in pectore, sinuque sparsis.*
CXXII.

ORnat odoratum folijs Codreta rosarum
Pectus, inest sinui florea pompa soli.

De *mammillis.*
CXXIII.

ESt dixisse parum mammillas fraga, sed adde,
Dixeris & multum, punica fraga poli.

De *mammis.*
CXXIV.

QVi Lillæ steriles audebit dicere mammas,
Nescit quæ lactis flumina fundat amor.

De *adamante gemmis circundato ante pectus elucente.*
CXXV.

SOl adamas centum veluti circumdatus astris
Pectore resplendet, sol duplicatus agit.

De *stomacho.*
CXXVI.

DEnte dapes, stomacho, cum vellat Lilla sagaci,
Escarum nunquam per graue pondus erit.

De corde.

CXXVII.

ATtigimus metam Diuæ cum corde, loquelæ;
Hic perit ars omnis, cor mihi plura vetat.

Ad Musam.

CXXVIII.

ABdita dedeceat cum Lillæ tangere, Musa
Ornamenta canas, queis decorata micat.

De pileo.

CXXIX.

SIue manumissi signum sit, libera Lilla est;
Siue viros deceat, Lilla virago manet.

Ad galerum.

CXXX.

VNdantes Lillæ crines compesce galere.
Vndantis domitor si cupis esse maris.

De insula.

CXXXI.

CAndida puniceis pendentibus infula vittis
Si sacris datur, est Lilla sacrata Deo.

De vmbella ad eius seruum.

CXXXII.

NE noceant Lillæ, si fers vmbracula, soles;
Ponito, non soli sol vagus alter obest.

De corporis cultu.

CXXXIII.

SIt simplex cultus nonnullis displicet: atqui
Haud alio meliùs virgo pudica nitet.

De toga.
CXXXIV.

COccina romanis dominis si tradita rerum
Est toga, fulgebit Lilla togata breui.

De clamyde.
CXXXV.

SIt rubicunda clamys, Diuæ quæ contegāt artus
Purpureos, etenim miles amoris ouat.

De crocotone.
CXXXVI.

NOn dabitur feli, dabitur si molle crocoton
Lillæ, quæ quoquo digna decore micat.

De puluinario.
CXXXVII.

PVluinár vellem Lillæ geniale locári,
Dummodo deueniat nullus in illud homo.

De regilla.
CXXXVIII.

QVæ pâtet incessu verè regina, meretur
Regillam, sit & hæc regia Lilla mea.

De polymita.
CXXXIX.

SI quibus ornantur vellent concurrere dotes
Ad Lillæ vestem, num polymita foret?

De prætexta.
CXL.

QVem meliùs Lilla pretextam ferre decebit?
Quæ prætextatos fundit ab ore sonos?

De Ventrali.
CXLI.

EXimio candore micat ventralis amictus,
Dant cui cum niuibus cana ligustra decus.

De caligis.
CXLII.

LInea vestis inest suris, sed serica linum
Contegit, hac nobis linea pluris erit.

Ad calceum.
CXLIII.

QVi toties Diuam propriam deducis ad ædem,
Calceus, ad nostros duc aliquando lares.

Ad calcei ligamen.
CXLIV.

SI bene calceolis vinctis nil restat agendum
Cor Lillæ ac nostrum iungito quæso simul.

De sandaliis.
CXLV.

NOn altos cubitum soccos fert Lilla per Vrbes
Non natura sibi carnis auara fuit.

De cothurnis.
CXLVI.

PVrpureos plantis Lillam gestare cothurnos
Laudo, cothurnatum pectus adesse queror.

De gemmis in crepidis.
CXLVII.

IN crepidis gemmas fert gemmea Lilla nitentes,
Gemmarum fastus altera gemma premit.

De pedum vestigijs.

CXLVIII.

IMprimit in terris quoties vestigia Lilla
Cum violis surgant lilia mista rosis.

De tapetibus.

CXLIX.

COnculcat pedibus villosos Lilla tapetes;
Hi pede non poterant nobiliore premi.

Eiusdem laudum epilogus.

CL.

HVmanas superant Lillæ miracula metas;
Octauum monstrum iam numerare datur.

Ad Lectorem.

CLI.

HAEc tibi firma parum si sunt, obscuraq; dicas;
Ingenium cæcus debilitauit amor.

De *aurea Lillæ catena.*

CLII.

QVæ pendet niueo reuincta collo,
Inuisibilis est catena Lillæ,
Hæc est artificis manu periti
Tam clarè fabrefacta, non catenam
Sed filum potius putes vt esse;
Inter se bene vincla tàm cohærent,
Ista, sic puto, Lilla dum reuincit
Inuisibiliter sequacis artus
Et cor vtitur aurea catena.

De Lilla virgine.

CLII.

PVrius æthereis nil, dempto Numine, fulget:
Aemula cælestum candida Lilla micat.
Stelligeros imitata choros, imitata Tonantem,
Re nulla gaudet virginitate magis:
Hinc cum nullius consortia Lilla requirat,
Indiga nullius posse videtur opis,
Et cum se sola viuat contenta: animatum
In terris Lillam quis neget esse polum?

De eadem pingente.

CLIII.

IN niueis animata facit Codretá tabellis,
Non secus atque facit femina nupta viro.
Forsan in hoc dispar, plorantia quòd facit ista,
Viuis in telis muta sed illa creat.
Fallor; num mutas animat mea Lilla tabellas,
Quarum fama loquax lustrat vtrumque polum?

De Eadem.

CLIV.

GLoria, formâ, decus Lillam cum plenius ornent,
Non eget ornatu gloria, forma, decus.
Gloria Lilla soli nostri, formosior illa
In terris, nostri gloria, forma, soli,
Gloria, forma decus Lillam cum plenius ornent
In terris nostrum, gloria, forma, decus.
Gloria forma decus Lillam cum plenius ornent,
Non eget ornatu gloria, forma, decus.

Ad Lectorem.

De eiusdem perfecto amore erga Deum.

CLV.

SI cæli flammas curas, ne mortuus vras,
Sic sic viue Deo, quippe frueris eo.

Sique solo, quò dextra polo potiatur, es hostis,
Sic sic viue Deo, quippe frueris eo.
Non quia dat cælum, ceù tartara, Lilla veretur,
Sed quia se solo dignus amore Deus.
O amor, ò longâ iucundior vnice vita
Radices nostro pectore fige tuas.

De Lillæ studio erga linum.
CLVI.

PRotinus excedit terris vbi frigidus annus,
Verque nouum varijs frondibus ornat humum
Semina contendit lini spargenda, palustri,
Radices vt agat semen humoque tegit;
Hinc humectatis calidisque vaporibus, orbis
Lineus informis fit, putr. dusque simul.
Rebus in humanis quàm mira potentia cæli
Emicet, ex istis noscere quisque potest.
Dum totum lini corrumpitur, vltima, semen
In terris quis non fata subire putet?
Attamen hinc, mirum! repetit generosius auras,
Quodque putabatur mors, sibi vita fuit.
Immo, quod humanum transcendit, semina, captũ
Mortua quæ fuerant, hinc rediuiua vigent.
Nam teneris sensim terræ radicibus hærens
In grandem plantam paruulus orbis abit;
Inde memor vitę, magnę quam munere matris
Agnoscit; matris membra forare negat,
Nam fore vipereum noscit crudescere in illos
Vulnere, de quorum sanguine vita fluit.
Expectat patiens matris sub pelle reclusus
Hinc, donec rimis tota dehiscat humus,
Dum tenui filo per parua foramina surgit,
Et memor officij frondibus ornat humum.

Ad Lillam de lino nascenti.

CLVII.

Incipit è terra tenerum iam surgere linum
 Iucundo sensim carpor amore tui.
Partus vterque tuus lectissima Lilla feretur:
 O vtinam lenis sis vtriusque parens!

Ad eandem de eodem.

CLVIII.

Vix dum delectant Lillam nascentia lina,
 Imbribus eximijs heu tumulantur aquis!
Infaustum! tanto medeatur vt illa dolori
 Surculus in linis fit, venit vnde salus;
Cor mihi suffusum lachrymis est cernere Lilla,
 A te dependet mors mea, vita, salus:
Surculus hinc longè, si vis Codreta valentem,
 Da mihi te solem cernere Lilla meum.

De eodem ad eandem.

CLIX.

Ne nimij exurant nascentia lina calores,
 Hortos viuaci flumine Lilla rigas,
Meque tui radijs exusti prorsus amoris
 Nec gutta curas Lilla leuare sitim.
Tradis inhumanis plantis Codreta leuamen,
 Humanis plantis subsidiumque negas?

De eodem.

CLX.

Elatum binos cubitos vt cernit in auras
 Linum, maturum semen & esse videt.
Summo mane petit magna comitante caterua
 Rus Codreta, vias carmina mille leuant.
Rusticus optatos vt grex deuenit in hortos,
 Ponitur in terris sarcina quæque grauis.
Mox vicibus centum repetit suauissima verba;
 Lilla triumphet Io, Lilla triumphet Io.

Inge-

Ingeminans Echo voces audita reportat :
Lilla triumphet Io, Lilla triumphet Io.
Collibus effractas reierunt ad sidera valles
Semesas voces : Lilla triumphet Io.
Accingunt operi magnis se plausibus omnes,
Distribuit turbæ munia quæque suæ.
Mascula lina legant committit Lilla quibusdam,
Lectaque vel vincis vel bene func premant ;
Vellere pars maior muliebria lina laborat,
Vulsaque tot vincit quot capit illa manu ;
Pars lini maniplis grandem componit aceruum,
Ex vtero subitò semen vt inde cadat.
Quis modo ferre potest ludi genus omne?choreas?
Carmina cum placidis, nec sine lege iocis ?
Hinc procul obscenũ, geritur quod messibus istis,
Sufficit his etenim dicere Lilla præest.
Cõueniunt iterum paruum post tempus in hortos,
Vt lini carpant semina cocta strue.
Fasciculi lini fouea tumulantur in vndis
Inde per hebdomadam plusue minusue parum,
Hic rigidus truncus maceratus flumine, mollis
Redditur, vt facilè frangi et ipse queat.
Post vbi de foueis madidi ducuntur, apertis
Lina locis aptant, plus vbi phœbus agit,
Dum penitus nimijs exausta solibus vnda,
Intima linorum quæ penetrare solet,
Concauus & durus truncus hunc factus ad vsum
Erectus cubitum circiter altus inest,
Assurgunt cuius bini de vertice colles
Reddentes lunæ cornua curua nouæ
Hos super imponit siccum muliercula linum,
Cum dens è lino ligneus ossa premit ;
Ossibus expulsis lini de corpore, pecten
Ferratis linum dentibus extenuat,
Extenuat demum pecten, sed rarius illo,
Mollia, qui veluti serica lina facit,

Ad lini stamina.

CLXI.


Inuideo vobis tereti quàm stamina filo
Ducta meę Lillæ pollice, ducta colo:
Vos modo dete premit, quò par uia detrahat ossa,
Ducat vt ę qua simul basia mille premit.
. . . .
. . . .

Ad Lillam; cum eiusdem resp.

CLXII.

AD varios vsus in telas Lilla redactis
Linis, est lini causa peracta tui.
Ecquis erit tandem perspecto finis amoris,
Quo per te nimium tempus in omne premor?
Non erit in terris perspecto finis amori,
Quo per me premeris tempus in omne nimis,
Ast erit in cęlis, vbi corpora nostra beabit,
Et sibi perpetuo fœdere iunget amor.

Finis Libri Quinti.



VM-

VMBRARVM GENIALIVM IO. FRANCISCI RAYMVNDI CESPITELLENSIS.

Liber Sextus.

LEO, ET AQVILA INSCRIPTVS.

Ad Illustriss. & Excellentiss. D.D.

FRANCISCVM AB ALTAEMPS,

Petri Ducis ab Altæmps primogenitum.

I.

SPONTE sua te noster adit Francisce libellus,
Gratus qui dominus non secus atque suus,
Fert varijs condita modis alimenta volantum
Necnon quadrupedum, regia dona quidem:

Regia dona quidem, quæ mortua ſæpe paraſti
Lautis in menſis, hæc tibi viua parat.
Ergo velis noſtris viuis accumbere menſis,
Sit tuus & guſtus noſter vt eſſe ſolet.

Ad librum cum eiuſdem reſp.

II.

IN lucem prodire liber quid parue moraris?
En hominis ſolus fit ferus hoſtis homo;
In mundum veniam non mundum! vita virorum,
Aſsiduum bellum num fuit, eſt, & erit?
Excute corde metus, hoſtis certamina creſcent.
Cuius par digitis lingua nocere poteſt,
Qui minor aut eſt te, vel par, vel denique maior;
Si minor anſa tibi nulla timoris erit;
Si par eſt, æquis ambo certabitis armis:
Nonniſi certanti ritè corona datur;
Cede locum ſi maior erit, quas ſoluere debet
Maiores grates poſsit vt ille Deo.

De Leone.

III.

IN belluis regnans armos & colla comanti
Fert Leo, qui rugit condecoratą iuba.

De eodem.

IV.

PArcere ſubiectis, & debellare ſuperbos
Eſt, fuit, in terris vſque Leonis erit.

De Pardo.

V.

PArdus hiando felit, grato ſubducit odore
Sylueſtres belluas, quas capit, atque vorat.

De Tigride.

VI.

RApiendo Tigris currit velocior euro,
Dum sibi quem fœtus eripuisse videt.

De Vrso.

VII.

VNcat, paulatim fœtus lambendo figurat,
Vrsus, qui fuerant carnea massa prius.

De Panthere.

VIII.

CAurit & horrificis quas terret Panther ocellis
Solicitat tergo multicolore feras.

De Lynce.

IX.

DE facili maculosa fremens orcando fugatur
Lynx sacra Nyseo versicolare pilo.

De Apro.

X.

FRendet Aper, feritate præit, fit spumiger ore;
Dente ferit, tergis horridus atque pilis.

De Lupo.

XI.

ESt vlulans infestus oui Lupus, illius osque
Comprimit ad tempus, quem prius ipse videt.

De Barrho, seu Elephante.

XII.

IN Lybicis Barrhus qui barrit, nascitur oris
Turrito tardus corpore, pelle niger.

De

De Equo.

XIV.

HInnit equus diro victor certamine Martis
Exultat, victus corda dolore coquit.

De Ceruo.

XV.

SVrdescit pressis, erectis auribus audit,
Erigit & ceruus cornua, felle caret.

De eodem, & de Onagro.

XVI.

ESt onager cursu pernix, desistit ab illo
Sed citò, cum ceruis hic glocitare solet.

De Tauro.

XVII.

INdomitus mugit surgens in cornua taurus
Incipit hic sensim subdere colla iugo.

De Verre.

XVIII.

QVirritat verres, porcum quem dicimus esse
Castratum nondum, luxuriosus inest.

De Asino.

XIX.

PResidet, vt censent plerique Priapus asello,
Vncans qui Maij tempore sæpe rudit.

De Ariete.

XX.

BLacterat in campis aries, muliebria gignit
Læuo teste dato, si secus ille marem.

De

De Oue.
XXI.

BAlat ouis, cupiens muliebria respicit austrum;
Dum coit, at boream dum cupit illa marem.

De Capro.
XXII.

SEx lateri menses dextro, totidemque sinistro
Incubat, & mutit vir gregis atque pater.

De Cane.
XXIII.

IN rabiem vertit quicquid rabiosa momordit;
Latrat fida viris & leuisomna canis.

De Vulpe.
XXIV.

SAepe pilos mutat, nunquam vulpecula mores;
Dira, rapax gannit, quàm male semper olet!

De Catulo.
XXV.

GLaucitat in catulis sistens quę fœmina, mingit;
Masculus elato meiere crure solet.

De Lepore.
XXVI.

OMni mense parit, patulis dormitat ocellis,
Et vagiens celeri quàm pede pulsat humum!

De Mure.
XXVII.

MVs auidus furti lambendo gignere fertur,
Mintrat, hic ex terrę sordę venire potest,

De eodem.

XXVII.

SVpra vigenos centum mus edidit vnus,
Non coit, at lambit dum generare cupit.

De *Mustella*.

XXVIII.

IT Mustella celer, latebris timidissima gaudet,
Dintrit, serpenti bella cruenta mouet.

De *Grillis*.

XXIX.

QVi grillant Grilli parui licet esse ferantur,
Vasta tamen noctu cantibus arua replent.

De Rana.

XXX.

RAna coaxando limosas rauca paludes
Incolit, herbosis atque coaxat aquis.

De Sue.

XXXI.

SVs famis impatiens tantummodo natus ad escam
Grunnit, & est eius quam pretiosus adeps,

De eius adipe.

XXXII.

HOc sine quadrupedum carnes, auiumque saporis
Expertes vero, sic coquus, esse solent.

Ad Quadrupedem.

XXXIII.

CVm sit cuiusuis proprium garrire volantis
O quadrupedes propriũ quid tibi, pande mihi,

De *Aquilis*.

I.

CLāgētes Aquilæ volucres dominātur in omnes
Nub iuagæ gestant tela trisulca Ioui,
E senibus fiunt iuuenes, renouetur ad instar
Hinc Aquilæ Psaltes nostra iuuenta canit.

De *Gallo*.

II.

CVcurrit Gallus, cristis diuerberat auras
Est, cum sole cubat, nuncia lucis auis.

De *Gallina*.

III.

DVm cristata parit, dicunt, gallina gracillat,
Quandò fouet partum tunc glocitare ferunt.

De Pauone.

IV.

PVpillat Pauo, caudam stellantibus implet
Gemmis, ah fallor sidera cauda gerit.

De *Eodem*.

V.

PVp illans caudà stellanti pauò superbit,
A tergo quoties hanc rotat, astra videt.

De Vulture.

VI.

PVlpat vultur edax, obscena cadauera rodit:
Masculus haud opus est, vt generare queat.

De *Grue*.

VII.

GRus Gruit, alta petēs clarū sine murmure tēpus
Spondet; non longè dum Gruit, imber abest,

De Cycno.

VIII.

DRensat amyclæus numeroso gutture Cycnus,
Deplorat funus dulciter atque suum.

De Accipitre.

IX.

ACcipiter pipans volucres inuadit acuto
Pectore, quas captas vulnerat atque vorat.

De Miluo.

X.

MIluus hiardo lipit, fertur rapidissimus, austro
Aut euro miluus concipit atque parit.

De Perdice.

XI.

CAcabat in flauis Perdix quæ garrula campis,
Principis in mensa lixa cacare solet

De Psyttaco.

XII.

PSyttacus humanas modulatur gutture voces,
Humanæ fertur vocis imago loquax.

De Pica.

XIII.

CLariùs humanam depromit voce loquelam
Pica loquax, verbis complacet ipsa sibi.

De Coruo.

XIV.

ORe coit Coruus, niger est, sed nascitur albus,
Omina dum crocitat tristia ferre solet.

De Ciconia.

XV.

GLoterat atque Gruis nō signa Ciconia calcat,
Dum fugit illa, venit, dum venit illa, fugit.

De Graculo.

XVI.

GRaculus in Lemno frigulat, coliturq; locustas
Cum perdat: syluas dum petit æthra riget.

De Merulo.

XVII.

VOcales æstu modulantur dulciter odas,
Solstitij Merulæ tempore quæque tacent.

De Turdo.

XVIII.

INgratus quantum trutilanti carmine Turdus.
Est, gratus tantum crassus & assus erit.

De Sturno.

XIX.

PIsitat ore loquax, volitat glomeratus in Orbē,
Picturata gerit pectora Sturnus edax.

De Ansere.

XX.

GRatitat arguté stomacho calidissimus Anser,
Per dumenta cubat, complacet, atque iecur.

De Anate.

XXI.

INgluuius tetrinit Anas, prope flumina degit,
Ceruix & pectus sunt modò grata gulæ.

De Palumbe.
XXII.

PLausitat, elinguis quæ frigore, vere Palumbes;
Vocalis, vario torque decora micat.

De *Columba, & Turture.*
XXIII.

CHaonis est ales multum dilecta potenti
Cyprinæ, non est Turtur, vterque gemit.

De *Hirundine.*
XXIV.

TRinsat Hirundo, volat celsas per diuitis ædes;
Nidificat tectis, nuncia veris adest.

De Passere.
XXV.

PIpilat in villis, pariter qui Passer in hortis
Argutè, messes non videt ipse duas.

De *Cuculo.*
XXVI.

NIdificant Cuculi cuculantes tempore nullo;
Alterius nidis nidificare solent.

De Cicada.
XXVII.

QVæ per culta canit flauentia rauca Cicada;
Fritinnit, sensim frigore pressa perit.

De Apibus.
XXVIII.

BOmbilat alueolis, in queis respublica splendet
(Dicere si regnum nolumus) agmen Apum.

De Bubone.

XXIX.

BVbulat infauftè luctus prænuncius ales,
Qui vice fundendi carmina Bubo gemit.

De Strige, & Vefpertilione.

XXX.

VBera dum pullis dat Vefpertilio ftridit,
Strix noctu ftridens triftia fata canit.

De Noctua.

XXXI.

CVcubat in tenebris prænuncia noctua fati,
Palladis eft ales, carmina mœfta canit.

De Vlulis.

XXXII.

FVnebres vlulant Vlulæ, medicamen earum
Eft oculi maculis fel, medicamen adeps.

De Butione.

XXXIII.

DEgit arenofis femper prope flumina, ripis
Emergenfque vagis Butio butit aquis.

De Progne, Regulo, & Merope.

XXXIV.

ZInzilulat Progne rubro quæ pectore gemmat,
Zinzilulat pariter Regulus atque Merops.

De Paro.

XXXV.

TInninat ingrata nocturno tempore Parus
Opprefsis fomno voce nocente viris.

De *Acredula*.

XXXVI.


TEmpore florigero commutat Acredula cantum
Et mitilat vitis dum noua gemma tumet.

Ad Musam de Philomela.

XXXVII.

IAm Philomela canit vocum discrimine mille
Nocte dieque, sile, dum Philomela canit.

Finis Libri Sexti, & Vltimi.



Index
TITVLORVM
VMBRARVM GENIALIVM,
Quæ in hoc Volumine continentur.



EX MORALIBVS.

Verus

spe-

EX HEROICIS.

Ad

Ad

EX VARIIS.

De

EX AETHIOPE EVROPAEO.

Disticha centum.

Vnica

EX LILLA CODRETA.

De

De

INDEX.
EX LEONE & AQVILA.

FINIS.



